

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXXII. Continens Emissionem Duodecim Apostolorum, Ut Denuntient
Adesse Messiam, Illudque Suum Praeconium Miraculis Confirmant, Matth.
10. v. 1. Marc. 6. v. 7. Luc. 9. v. 1.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT LXXII.

CONTINENS EMISSIONEM DUODECIM APOSTOLORUM, UT DENUNTIENT ADESSE MESSIAM, ILLUDQUE SUUM PRÆCONIUM MIRACULIS CONFIRMENT, MATTH. 10. V. 1.

MARC. 6. v. 7. LUC. 9. v. 1.

RATIO ORDINIS.

DE ordine hic nullum dubium esse potest. Etenim postquam Christus in generali illa sua visitatione miserimum populi Judaici statum vidisset, quod nimirum animi plerorumque, lectione prophetarum, & prædicatione Johannis ad excipiendum Messiam essent quidem excitati, & maturi, qui in Ecclesiam Messiae, ceu in ipsius horreum, colligerentur: Verum Sacerdotes, Scribæ & Pharisei altum sterterent, de ventre suo alendo, non autem de Messia inquirendo solliciti: Unde ipse, commiseratione populi ductus, discipulos ad publicas preces exhortatus est: mox ipse manum operi admovet, & duodecim suos Apostolos, quos jam biennium eam ad rem instituerat, ad prædicandum regnum Dei emittit. Ministerium ergo, quod Judaici illi pastores non recte curabant, aufertur ab istis, & datur Apostolis, sicut prædictum fuerat, Jer. 23. v. 33. Projiciam quippe vos, dicit Dominus, & dabo vos in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. Et Ezech. 34. v. 10. Audite Pastores verbum Domini, ego requiram gregem meum de manu vestra, & cesare faciam vos, ut ultra non pascatis gregem meum, nec pascatis amplius vosmetipsos. Quia verò hæc emissio fuit

peculiaris, certi temporis & loci, ideo etiam certa quædam & peculiaria ipsis præscribit mandata, quæ ad universalem illam emissionem, post passionem factam, ubi ad perpetuum Apostolatam mittuntur, nihil faciunt. Ideò observare decet, quod ea, quæ paragraphum illum: *Ecce ego mitto vos sicut oves, &c.* sequuntur, non ad primam hanc missionem, sed ad illam, quæ post resurrectionem facta est, pertinent. Hac verò occasione à Christo hac vice adjecta videntur. Quia successus hujus primæ missionis futurus erat placidus, sicut etiam Luc. 10. v. 17. septuaginta cum gaudio revertuntur. Neitaque Apostoli existimarent, cursum ministerii semper fore talem, addidit etiam ea de persecutionibus, quæ tamen pertinebant ad futuram ultimam emissionem, ut sic maturè ipsis ista prædicarentur, ipsique paulatim ad duriora illa tempora præpararentur. Aut certè, si hæc illo tempore non fuerunt dicta, sicuti Lucas pleraque alibi repetit, tamen à Matthæo studiose hic in unum locum sunt collecta, ut sic Lector conjunctim consideraret ea, quæ Christus Apostolis suis univèrsim, diversis locis & temporibus, instructionis loco præscriperat. Nos quoque Matthæum secuti uno capite ista omnia complectemur, lectorem in iis, quæ alibi repetuntur, & hic sunt explicata, ad hunc locum remissuri.

HISTORIA PRIMÆ MISSIONIS DUODECIM APOSTOLORUM

AD EVANGELIZANDUM.

MATTH. 10.

1. καὶ προσκαλεσάμενος τὸς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν ἢ πνευμάτων ἀκαθάρτων, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτὰ, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, καὶ πάσαν μαλακίαν,
2. τῶν δὲ δώδεκα Ἀποστόλων τὰ ὀνόματα ἐστὶ ταῦτα: πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Ἰάκωβος ὁ υἱὸς Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ.
3. Φίλιππος καὶ Βαρθολομαῖος, Θωμᾶς καὶ Ματθαῖος ὁ τελῶνης, Ἰακώβος ὁ υἱὸς Ἀλφαίου, καὶ Λεβθαῖος ὁ ὀπτικηθεὶς Θαδδαῖος.
4. Σίμων ὁ καναναῖτης, καὶ Ἰudas ὁ Ἰσκαριώτης, ὁ καὶ πρῶτος ὄνομα αὐτοῦ.
5. Τότες τὸς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς, παροργίζοντας αὐτοῖς, λέγων: εἰς ὁδοὺ ἐθνῶν μὴ ἀπελθῆτε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρείτῃ μὴ εἰσελθῆτε. (οἶκος Ἰσραὴλ.)
6. Πορεύεσθε ἢ μᾶλλον πρὸς τὰ προβατα τὰ ἀπολωλότα.
7. Πορευόμενοι ἢ κηρύσσετε λέγοντες, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.
8. Ἀσθενεῖς θεραπεύετε, λεπρὸς καθαρῖζετε, νεκροὺς ἐγείρετε, δαίμονια ἐκβάλλετε, δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. (τὸς Ζῶνας ὑμῶν.)
9. Μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ἀργυρὸν, μηδὲ χαλκὸν εἰς ἔμπορον.
10. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργατὴς τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστίν.
11. Εἰς ἕνδεκά τι ἀν πόλιν ἢ κώμην εἰσελθῆτε, ἐξετάσατε,

1. Et concessit duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem adversus spiritus immundos, ut egerent eos, & sanarent quemvis morbum, & quemvis languorem.
2. Porro duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui vocatur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus filius Zebedæi, & Johannes frater ejus,
3. Philippus & Bartholomeus, Thomas & Matthæus, qui fuerat publicanus, Jacobus filius Alphaei, & Lebbeus cognomento Thaddæus,
4. Simon Cananaeus, & Judas Iscariotes, qui & primus illum.
5. Hos numero duodecim emisit Jesus, quibus præceperat dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini.
6. Sed ite potius ad oves perditas domus Israel.
7. Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquavit regnum caelorum.
8. Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscite, demonia ejicite: gratuito accepistis, gratuito date. (menia vestris.)
9. Ne possideatis aurum, neque argentum, neque es in erum.
10. Neque per am ad iter, neque bimas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Nam dignus est operarius cibo suo.
11. Sed in quacumque civitate aut vicinia fueritis

tis est

- πρὸς αὐτὴν ἀξίᾳ. ἢ καὶ κεί μείνατε, ἕως ἂν ἐξέλθῃτε.
- 11. Εἰσέρχονται ἢ εἰς τὴν οἰκίαν, ἀπάραδοι αὐτῶν.
 - 12. Καὶ εἰς αὐτὴν ἢ οἰκίαν ἀξίᾳ, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτῶν. Ἐάνη μὴ ἢ ἀξίᾳ, ἢ εἰρήνη ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἴσπρα φησὶ.
 - 14. Καὶ ὅς ἐστι μὴ δεξήται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ τὸς λόγους ὑμῶν, ἐξερχόμενοι τῶν οἰκίαις ἢ τῆ πόλεως ἐκείνης, ἐκπαύσατε τὸν ποῦρον τῶν ποδῶν ὑμῶν.
 - 15. Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται γὰρ Σοδόμων, ἢ ἱεροσόλων ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῆ πόλεως ἐκείνης.

MARC. 6.

- 7. Καὶ προσκαλεῖται τὸς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοῖς δοῦναι δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πνευμάτων ἁκαθάρτων.
- 8. Καὶ παρεγγείλεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ δέναι εἰς ὄδον, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον, μὴ πέραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴ Ζωνὴν χαλκίαν, ἀλλ' ἵσπρα δεσμεύεις σενδαλία. καὶ μὴ ἐκδύσασθε δύο χιτῶνας.
- 9. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὅτι ἔσται εἰσελθῆτε εἰς οἰκίαν, ἐκεῖ μένετε, ἕως ἂν ἐξέλθῃτε ἐκεῖθεν.
- 10. Καὶ οὐκ εἶπεν μὴ δεξήται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ ὑμῶν, ἐκπαύσατε αὐτοὺς ἐκεῖθεν, ἐκπαύσατε τὸν ποῦρον τῶν ποδῶν ὑμῶν ἐπὶ τῶν ποδῶν ὑμῶν, εἰς μαρτυρίαν αὐτοῖς.
- 11. Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ ἱεροσόλοις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῆ πόλεως ἐκείνης.

LUC. 9.

- 1. Συγκαλεσάμενος ἢ τὸς δώδεκα μαθητὰς αὐτῶν, ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντων τῶν δαιμονίων, καὶ νοσῶν θεραπεύειν.
- 2. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴ βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἰάσασθαι τοὺς ἀσθενεῖντας.
- 3. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, μὴ δέναι ἀρτοὺς εἰς ὄδον, μὴτε ῥάβδον, μὴτε πέραν, μὴτε ἄρτον, μὴτε δερμίδιον, μὴτε ἀνά δύο χιτῶνας ἔχειν.
- 4. Καὶ εἰς ἣν οἰκίαν εἰσελθῆτε, ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε.
- 5. Καὶ οὐκ εἶπεν μὴ δεξήται ὑμᾶς, ἐξερχόμενοι δὲ τῆ πόλεως ἐκείνης, καὶ τὸν ποῦρον τῶν ποδῶν ὑμῶν δοκίμασατε εἰς μαρτυρίαν ἐπ' αὐτοῖς.

- ingressi, exquirite, quis in ea sit dignus, atq; illic manete, donec exeat.
- 12. Cum autem intrabitis domum, salutate illam.
 - 13. Et si quidem fuerit domus digna, veniat pax vestra super illam: Sin minus fuerit digna, pax vestra ad vos revertatur.
 - 14. Quicumq; non exceperit vos, neq; audierit sermones vestros, exeuntes ex aedibus aut civitate illa, excutite pulverem pedum vestrorum.
 - 15. Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrheorum in die iudicii, quam civitati illi.

- 7. Et accersit duodecim capitq; eos emittere binos, ac dabit illis potestatem adversus spiritus immundos.
- 8. Et precepit illis, ne quid tollerent in viam, nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in Zona es, sed calcearentur sandaliis, & ne induerentur binis tunicis.
- 9. Et dicebat eis, ubicunq; introieritis in domum, illic manete, donec exeat illinc.
- 10. Et quicumq; non receperint vos, neq; audierint vos, exeuntes illinc, excutite pulverem, qui est sub pedibus vestris, in testimonium illis.
- 11. Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicii, quam civitati illi.

- 1. Convocatis autem 12. discipulis suis, dedit illis potestatem & auctoritatem super omnia demonia, & ut morbos sanarent.
- 2. Et misit illos, ut predicarent regnum Dei, & sanarent infirmos.
- 3. Et ait ad illos, ne quid tuleritis in viam, neq; virgam, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam, neq; binas tunicas habeatis.
- 4. Et in quancunq; domum intraveritis, illic manete, & illinc exeat.
- 5. Et quicumq; non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem de pedibus vestris excutite in testimonium adversus illos.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ, QVA CHRISTUS DUODECIM APOSTOLOS EMITTIT, UT DOCEANT ET MIRACULA EDANT, EX EVANGELISTARUM DESCRIPTIONIBUS IN UNUM CORPUS CONCINNATA.

Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9.

b Καὶ προσκαλεῖται τὸς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοῖς δοῦναι δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πνευμάτων ἁκαθάρτων (καὶ ἐπὶ πάντων τῶν δαιμονίων), ὥστε ἐκβάλλειν αὐτὰ, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον καὶ πάσασιν μαλακίαις. Τῶν ἢ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματα ἔσονται ταῦτα. Πρῶτος Σίμων ὁ λεγομένη Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Ἰακώβος ὁ υἱὸς Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Φίλιππος, καὶ Βαρθολομαῖος, Θωμαῆς καὶ Ματθαῖος ὁ τελωνῆς, Ἰακώβος ὁ υἱὸς Ἀλφαιῦ, καὶ Λεβθαῖος ὁ ἀπὸ κληρονομίας Ὀυθθαίου, Σίμων ὁ κανανίτης, καὶ Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης, ὁ υἱὸς ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Τύτῃς τῶν δώδεκα ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς ὄδον. Καὶ παρεγγείλεν αὐτοῖς, ἵνα ἢ μὴ δέναι ἀρτοὺς, μὴτε ῥάβδον, μὴτε πέραν, μὴτε ἄρτον, μὴτε δερμίδιον, μὴτε ἀνά δύο χιτῶνας. c Καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴ βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἰάσασθαι τοὺς ἀσθενεῖντας. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, μὴ δεξήται ὑμᾶς, ἐκπαύσατε αὐτοὺς ἐκεῖθεν, ἐκπαύσατε τὸν ποῦρον τῶν ποδῶν ὑμῶν ἐπὶ τῶν ποδῶν ὑμῶν, εἰς μαρτυρίαν ἐπ' αὐτοῖς. καὶ εἰς ἣν οἰκίαν εἰσελθῆτε, ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. Harm. Tom. I.

b Et accersit 12. capitq; eos emittere binos. f Convocatis autem 12. discipulis suis, b dedit illis c potestatem & b auctoritatem a adversus spiritus immundos, (c) c super omnia demonia, a ut ejicerent ea, f & sanarent quemvis morbum, a & quemvis languorem. Porro 12. Apostolorum nomina sunt hec. Primus Simon, qui vocatur Petrus, & Andreas frater ejus. Jacobus filius Zebedai, & Joannes frater ejus. Philippus & Bartholomeus, Thomas & Mattheus, qui fuerat publicanus, Jacobus filius Alphaï, & Lebbeus cognomento Thaddeus, Simon Cananeus, & Judas Iscariotes, qui & prodidit illum. Hos numero 12. emisit Jesus. b Et precepit illis, h ne quid tollerent in viam, b nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in Zona es, sed calcearentur sandaliis, & ne induerentur binis tunicis. c Et misit illos, ut predicarent regnum Dei, & sanarent infirmos. Et ait ad illos, a precipiens ac dicens: In viam gentium, ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum na ingrediamini. Sed ite Ttt 4 τ μὴ

μή εισέλθῃτε. Πορεύεθε ἡ μάλλον οὐδὲ τὰ πόλις αὐτῶν...

potius ad oves perditas domus Israel. Profecti autem predicant, dicens: Appropinquavit regnum calorum...

Periocha hujus Historia.

Instituerat Salvator Christus in praecedentibus publicas preces ad Dominum Messis, ut ipse operarios in messem extruderet.

ignobilitatem suarum personarum contemneretur. Etsi enim Scribae & Phariseos humana sapientia & doctrina non aequabant...

Ceterum Monarchae, Reges, atque Principes hujus seculi, quando legatos suos emittunt, solent iis multa addere, quae auctoritatem & benevolentiam ipsis concilient...

Quod mittuntur duo duo bini & bini, sicut etiam Luc. 10. v. 1. LXX. discipuli bini mittuntur, hoc facit ad commendationem fraternae caritatis...

te, five mediate. Christus ergo vocatis dedit potestatem & auctoritatem predicandi regnum Dei, docendi Evangelium, infirmos sanandi, & dæmonia ejiciendi. Et quam hac in parte miraculorum potestatem Apostolis corporaliter adversus dæmonia & morbos concessit, eandem potestatem reliquis verbi ministris spiritualiter contra peccata & Satanæ regnum largitus est. Est autem hæc ministerii potestas, divinitus concessa, non indefinita, sed certis limitibus circumscripta: scilicet predicare verbum Dei, errantes docere, peccantes corripere, segnes hortari, anxios consolari, infirmos erigere, contradicentibus resistere, falsam doctrinam taxare & damnare, vitia morum arguere, Sacramenta divinitus instituta dispensare, peccata remittere & retinere, esse exemplar gregis, orare pro Ecclesia tam privatim quam publice: precibus Ecclesiæ præire, pauperum curam agere, contumaces publicè excommunicare, resipiscentes recipere & Ecclesiæ reconciliare, verbi ministros instituere, cum consensu Ecclesiæ ritus, ministerio servientes, & cum verbo Dei non pugnantem, nec conscientias onerantes, constituere. Hæc enim ferè sunt, quæ ad duo illa capita potestatis ordinis, & *ἐξουσιαν*, seu auctoritatem jurisdictionis Ecclesiasticæ referri solent. Habent a verbi ministri hanc virtutem & potestatem, non ex Christumate aliquo vel unctione, qua Pontificii ministerio initiandos perungere solent, nec ex character aliquo indefebili: sed ex præsentia Christi, qui semper ministerio suo præsens est, & ubique ei cooperatur, Marc. 16. v. 20. Ideo etiam Apostolis, in universum terrarum orbem abitaris, hanc promissionem addit: Matt. 28. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Imò etiam ante resurrectionem pronunciat, Mat. 18. v. 20. Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Sciendum ergo, quòd ministerium nostrum omnem suam *ἐνεργειαν*, virtutem & efficaciam inde habeat, quia Christus ipsi inseparabiliter adest, sicut Paulus loquitur 2 Cor. 5. v. 18. Deus est, qui reconciliat nos sibi per Christum, non imputans nobis peccata. Apostolis autem dedit *διακονίαν*, ministerium reconciliationis. Quomodo verò hoc? Posuit, inquit, in nobis verbum reconciliationis. Nos igitur pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo: Reconciliemini Deo. His ita consideratis, manifestum evadit, quam necessaria sit ordinatio in Ecclesiis Christi. Ea enim si removeretur, nec ministri de potestate sibi data, nec auditores de virtute & efficacia verbi prædicati, certi esse possent. Si verò rite ordinati audiantur, & ad munia ministerialia adhibeantur, tum non debent dubitare, idem Christus, qui in Apostolis efficax fuit ad expulsionem dæmoniorum, & depulsionem morborum, etiam in istis ministris efficax erit ad remissionem peccatorum, liberationem ex regno Satanæ & æternam salutem. Ad hanc potestatem à Christo datam, quæ etiam ipso efficaciter operante exercetur, respicit Paulus quando Corinthiis scribit, 2 Cor. 13. v. 10. Agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem & non in destructionem. Et v. 3. An experimentum quaeritis in me loquentis Christi, qui er-

gavos non est infirmus, sed potens est in vobis? Hæc & consimilia considerans magnus noster Lutherus ritum Ordinationis collapsum Witebergæ instauravit An. 1525. Dominica Cantate, 14. Maji. Er rectè faciunt, qui eum quasi jure post liminii in illis locis, in quibus desit, in Ecclesiam reducant.

Ceterum in præsentia huic Apostolorum Ordinationi Christus nullum adhibuit externum ritum. Noluit enim Ecclesiam externis illis alligare vel onerare. Postea tamen Apostoli, propter certas causas, ex Veteri Testamento assumerunt ritum *χειροτονίας*, manuum impositionis, quam precibus conjunxerunt, ut eo insinuaretur, hæc personas ordinatas Deo consecratas esse: utque ministri suo officio tanto majori cura & sollicitudine, tanquam coram Dei oculis, defungerentur. Sic enim Paulus Timotheo suo scribit: Admoneo te, ut exsuscites donum Dei, quod in te est, per impositionem manuum mearum, 2. Tim. 1. v. 8.

3. Quod Simon Petrus non tantum primo loco recensetur, sed etiam eidem vocabulum *πρωτος* primus additur, ex eo Pontificii primatum & excellentiam Petri præ reliquis Apostolis extorquere conantur, & contendunt, non multum referre, five quis sciat reliquorum Apostolorum ordinem, five nesciat: ad Christianam autem religionem attinere, scire primatum Petri. Atque huic primatum Petri postea superstruunt primatum Pontificis Romani. Pro hoc ergo, quoniam Pontificii tanquam pro aris & focis ex hoc potissimum loco dimicant, paucis videndum, quam firmum sit hoc fundamentum. Et primò quidem non tantum ex collatione locorum Scripturæ, sed etiam ex communi usu omnium linguarum constat, vocabulum *πρωτος* primus, ut plurimum usurpari ordinis causa: ut, quando plures personæ sunt enumerandæ, tum qui primo loco occurrit, illi Primi nomen additur, licet reliquis non sit præferendus. Ut: quando in Ecclesia Corinthiaca plures ex ordine scripturam explicabant, Paulus dicit 1. Cor. 14. v. 30. Sed sedenti revelatum fuerit, *πρωτος*, primus, seu prior taceat. Et ratione ordinis, tum Petrum inter Apostolos, tum alium inter quosdam verbi ministros *πρωτος* seu Primum dici posse non negamus. Et talem usum etiam vocabuli *πρωτος*, Primus, citra concessionem alicujus prærogativæ, ostendit locus Joh. 1. v. 42. Ubi Andreas frater Petri *πρωτος*, prior dicitur, qui invenerit fratrem suum, eumque ad Christum adduxerit.

Deinde verò usurpatur etiam vocabulum *πρωτος*, primus, de primariis, qui aliis præferuntur, maxime addito articulo *ο*. Sic. 4. Reg. 25. v. 18. Serajas *וְהָיָה בְּהָיָה* Pontifex, caput, seu magnus inter Judæos, vocatur Sacerdos *ο πρωτος*. Marc. 6. v. 21. Herodes in suo natali paravit convivium Principibus, tribunis, & *τοις πρωτοις* primariis viris Galilææ. Act. 22. v. 17. Paulus Romæ convocavit *τους πρωτους* primarios Judæorum. Et in hoc sensu Petrum etiam *πρωτον* primarium dici posse, non negamus; siquidem ratione zeli, & quia plus Jesum dilexit ceteris, Jo. 21. v. 15. non immerito primarius nuncupatur. Sicuti non est dubium, Petrum tum inter Apostolos, tum inter alios Doctores Ecclesiæ maximæ fuisse auctoritatis, ac proinde primarium. Unde Paulus Gal. 1. v. 18. ascendit Hierosolymam videre Petrum. Et tamen Gal. 2.

Gal. 2. v. 9. cum recensentur columnæ Ecclesiæ, Jacobus & Johannes Petro adjunguntur: Imò Jacobus Cepha proponitur. Quod facere non licuisset, si Petrus simpliciter *πρωτος* seu primus fuisset. Sicuti etiam Act. 15. v. 13. Jacobus & non Petrus, in Concilio Hierosolymitano decretum fecit, illudque tanquam loci illius Episcopus & Concilii præses pronuntiavit. Et in hoc sensu adhuc hodie inter Verbi ministros, ratione donorum, doctrinæ, laborum & meritorum in Ecclesiam alii aliis præferuntur, eorumque quidam *πρωτος* sive primarii dicuntur. Utroque igitur sensu primatus quidem seu titulus *πρωτος*, Primi, Petro citra præjudicium reliquorum Apostolorum attribuitur.

Nihil verò hoc facit ad stabiliendum primatum Pontificis Romani, qualem ipse quidem postulat, & adulatoribus ipsius approbant atque confirmant. Quod scilicet Papa Romanus omnia jura habeat in scrinio pectoris sui, etiam si sit idiota, & immemor sui nominis: quod si propriæ fraternæque salutis immemor, quotidie innumeras animas catervatim secum abducatur in infernum, æternum vapulaturus, nemo tamen præsumat dicere: Quid aut cur facis? quod ipsius potestas sit suprema & absoluta præcipiendi quod velit: quod ipsius potestas sit major, quam omnium Sanctorum, ut possit facere omnia, quæ Deus facit: qui omnia possit contra jus, supra jus, & extra jus: quod potestas ipsius se extendat ad cœlestia, terrestria & infernaliam, unde etiam mandat Angelis Paradisi, ut morientes in peregrinatione Romam versus in Paradisi gloriam introducant: quod habeat cœlestis arbitrium & voluntatem pro ratione in his, quæ vult: quod possit aliquid de nihilo facere, de injustitia justitiam, corrigendo jura & mutando: quod possit secundum plenitudinem potestatis de jure supra jus dispensare: quod potestas ipsius major sit quam Moysis: quia Paulo major, & Petro par, in administratione: quod non possit errare in his quæ sunt fidei, & quæ ad salutem humanam sunt necessaria: quod solus sine Concilio possit deponere Imperatorem: quod super omnia concilia potestatem habeat: quod à Papa ne quidem ad Deum appellari possit: quod jus utriusque gladii à Christo acceperit: quod superioritatem ad imperium sine dubio habeat, & vacante imperio Imperatori succedat: sicuti hæc & hujusmodi plura abominanda & detestanda Pontifex Romanus & ipsius Creatura, in jure Canonico & ejus glossis, Christiano orbi sub titulo Primatus obtrudunt. De quibus omnibus Papa Romanus ne minimum quidem ex verbo Dei probare potest: neque Christus Petro concessit, neque Petrus unquam, dum in his terris vixit, usurpavit. Cum Petrus etiam, post acceptam hanc potestatem & auctoritatem, in doctrina de passione Dominica hallucinaretur, cum indignatione ceu Satanas à Christo rejectus est, Matt. 16. v. 23. Et Antiochiæ, cum non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, coram omnibus reprehensus est à Paulo, hanc prioritatem nihil attendente. Et quomodo ipse Petrus talem potestatem ac dominium sibi arrogasset, qui non tantum in Paulina Epist. Gal. 2. v. 8. legit, eundem Christum, qui cum Petro operatus est in Apostolatu circumcissionis, cum Paulo ope-

raturum esse inter gentes: Sed etiam in propria sua Epistola tanquam compresbyter fraterve, & non cum domino, sive facta humilitate, allocutus est reliquos presbyteros? 1. Pet. 5. v. 1.

Concesso denique (quod tamen in æternum nunquam ex scriptura probari potest): talem primatum à Christo Petro concessum fuisse, nondum tamen sequitur, eundem ad Pontificem Romanum, jure hæreditario devenisse. Etenim Pontificii nunquam ex idoneis historiis probare possunt, Petrum XXV. annos Romæ sedisse, ibidemque Romanam sedem erexisse. Nunquam probare possunt, quod D. Petri sedes quenquam, rejecta doctrina sancta (quod Papa facit) sanctum faciat. Nam, ut ipsi Pontifices ex Chrysostomo Distinct. 40. monent: Videndum, quomodo quis sedeat super Cathedram: Quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed locum homo. Qui bene igitur federit super cathedram, honorem accipit cathedræ: qui male, injuriam facit cathedræ. Nihil itaque hæc vocula *πρωτος* facit ad primatum Papæ.

4. Matthæus in describenda sua persona humilitatem & candorem servat. Humilitatem in eo, quod cum alii Evangelistæ ipsum, in recensendo suo jugo seu pari, Thomæ præferant, ipse eadem sese modestiæ causâ postponat. Huic virtuti omnes Christiani studere debent, cum primis verbi ministri. Quantum enim ambitio & superbia Ecclesiæ damni dederint, exempla Arrii & aliorum docuerunt. Hinc Paulus nobis verbi ministris rectè præcepit: Phil. 2. v. 3. Nihil gerite per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestiæ alium quisque se præstantiorem existimet. Certum enim est, summam Theologi virtutum esse humilitatem, & summum ipsius vitium esse superbiam. Beatus itaque, cujus vita est excelsa, & Spiritus humilis. Candoris deinde est, quod pristina sua peccatricis conditionis mentionem facit, & publicanum se fuisse fatetur. Neque enim ignominiosum, sed grati animi, & liberæ conscientiæ, quæ de remissione certa, indicium est, ingenuè confiteri, qualis olim ante conversionem quis fuerit. Sic Paulus de Corinthiis: Quondam fuistis fornicarii, idolis servientes, molles, adulteri, fures, avari, ebriosi, maledici, raptores: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri, 1. Cor. 6. v. 10. 11.

5. Quod Judas tam hic quam alibi Apostolis annumeratur, nos non tantum communis illius fortis Ecclesiæ in hisce terris militantis, admonet, quæ nunquam planè pura & munda est, sed malos bonis semper intermixtos habet. Unde etiam agro, tam Zizania quam bonas segetes proferenti, & reti non tantum bonos, sed etiam putres pisces & sordes attrahenti, à Christo confertur, Matth. 13. v. 24. & 47. Verum etiam docet, ministerium quoque suos habere hypocritas: qui tamen vera doceant, & per quorum ministerium Christus sit in piis efficax ad salutem. De Juda enim minime dubitandum est, quin una cum reliquis in hac legatione Evangelium docuerit, homines ad respiciendum excitavit, & miracula ediderit. Neque quicquam sive Evangelio, sive Sacramentis, ab ipso administratis, deceffit. Siquidem virtus & efficacia mini-

ministerii, non ex dignitate & sanctitate personæ ministrantis, (ut Donatistæ olim asseruerunt, & Anabaptistæ hodiè docent) dependet, sed ex ordinatione Domini instituentis. Sunt huiusmodi hypocritæ & mali ministri instar statuarum Mercurialium, quæ aliis viam monstrant, quam ipsi non ingrediuntur: & similes fabris Noachi, qui huic arcam extruxerunt, in qua ipse cum filiis & seminario secundi mundi servaretur: Ipsi verò arcam non ingressi in diluvio perierunt. Quisque ergò in sublimi hoc dignitatis gradu constitutus sibi ipsi providerit, eximii à Deo concessis donis non abutatur, sed in humilitate Dei gratiam imploret, ut ipsius potenti manu sustentetur & regatur, ne cum Juda in exitium ruat. Ideò Paulus ipse de se dicit: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar, 1. Cor. 9. v. 27. Alii verò dicit 1. Cor. 10. v. 12. Qui existimat se stare, videat, ne cadat.

6. Neque putemus temere à Christo factum, quod in toto hoc Apostolorum catalogo, nullos genere illustres, aut ambitiosis titulos claros, sed tantum obscuros & ignobiles piscatores invenimus: Et tamen horum ministerio, quorum nullus erat splendor, nullæ vires, nulla apud homines auctoritas, totum mundum subegit, & in suum obsequium pertraxit. Voluit nimirum docere, suum regnum non esse de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. alioquin more mundano magnificos ministros sibi adiunxisset. Neq; vult ministerium suum magnificis titulis huius mundi, sed constantia & fide in munere exornari. Hinc enim aliqui Apostolorum novos titulos & Epitheta illustria sunt consecuti. Hinc Simon dictus est *Petrus*, ob constantem fidei confessionem; hinc Jacobus & Joannes dicti sunt *Boanerges* filii tonitruu, ob indefessum docendi & exhortandi studium: hinc alter Simon dictus est *Canaanaeus* sive *Zelotes*, ob singularem zelum pro Christi gloria & Ecclesiæ ipsius ædificatione. Major itaque laus est, si quis ex munere fideliter administrato honestum nomen adipiscatur, quam si arrogantes titulos ex majorum suorum prosapia sibi ipse assumat, & in ministerium inferre velit. In politicis nobilitas generis & splendor familia merito spectantur, laudantur, & in admiratione sunt. Igniculi quoque virtutum in talibus generosis naturis ferè deprehenduntur. At in Ecclesiasticis majoris facio, si quis nobilitatem nominis ex munere fideliter administrato acquirat: quam si ob nobilitatem generis sui fastuose se in ministerio efferat.

7. Quoad numerum duodenarium, non quidem argutè est philosophandum: & tamen Dominum hunc numerum tam firmum & fixum habere voluisse videmus, ut cum Judas Ischarioth per prodicionem suam & tristem interitum inde revulsus fuisset, Spiritus S. alium ipsi surrogandum censuerit Act. 1. v. 15. quo numerus ille completus maneret. Putant igitur aliqui, Christum respexisse typos quosdam, qui in V. Testamento præcesserint, nec malè ad Apostolos referri queant. Fuerunt 12. Patriarchæ, per quos ædificata est domus Israel, Gen. 35. v. 22. In rationali super pectus Aaronis inserti erant XII. lapides pretiosi. Exod. 28. v. 21. Super mensam quoque sacram XII. panes propositionis collocabantur, solis Sacerdotibus deputati, Lev. 24. v. 5. In dedicatione altaris, 12. Prin-

cipes offerunt sua munera. Num. 7. v. 12. Israelitæ errantes in deserto inveniunt 12. fontes salubres in Heleni, ex quibus reficiuntur, Ex. 15. v. 27. Et Moyses mittit in terram Canaan 12. exploratores. Num. 13. v. 6. Erant quoque in templo 12. boves ex ære, portantes mare æneum; Reg. 7. v. 25. Ezechiel item in civitate sancta videt 12. portas. Ezech. 48. v. 31. Sicut etiam Joannes in sua revelatione videt 12. portas in cælesti Jerusalem, Apoc. 21. v. 12. Et in corona sponsæ sunt 12. stellæ, Apoc. 12. v. 1. Hæc & similia ostendunt, sacras literas numero duodenario potissimum delectari, nec inutilem possunt hæc, si quis Allegoriis delectetur, habere collationem, & cum numero, & cum munere Apostolorum.

II. Nunc secundo loco sequuntur præcepta, quæ hisce suis Apostolis, sive legatis, ad obeundam hanc primam legationem Christus dedit. Et licet unus Evangelista plura aliis recenset, Lucas quoque nonnulla ad missionem LXX. discipulorum reserret: tamen si Evangelistæ inter se conferantur, novem potissimum præcepta, quæ ipsis tradidit, inveniuntur. Propterea autem ipso convocatos, & in unum collectos præceptis necessariis instruit, ne quid ipsi, ab uno eodemque præceptore iussi, inter se discrepent. Nos singula præcepta ordine videbimus.

Primum Præceptum agit de comæatu: Etenim qui professionem ad externos instituunt, illi de comæatu, interdum etiam de armis, quibus pro sui defensione utantur, ante omnia sibi prospicere solent. Et in primis, qui à Regibus & magnis Dominis mittuntur, non contenti necessariis, superflua quoque adjicere solent, ut Superiorum suorum majestatem aliquo modo ostendant. At Christus suis hisce Apostolis & legatis præcipit, *ne quid tollant secum ad iter, nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in zona es, sed ut calcarentur sandaliis, & ne induerentur binis tunicis.* Duo permittit: 1. Virgam sive baculum, qui sustentando corpori inserviret, & qui paupertatis esset signum. Ditiore enim, qui equis, mulis, vel lecticis vehuntur, baculo non indigent. Tali usus est Jacobus fugiens in Mesopotamiam, Gen. 32. v. 10. Moyses rediens in Ægyptum, Exod. 4. v. 20. Judæi comedentes agnum paschalem, Exod. 12. v. 11. Propheta Elisæus, 4. Reg. 4. v. 29. & alii. 2. *Sandalia*, ad pedum munitionem. Hoc enim genere calceamentorum utebantur veteres, ne prorsus nudi & discalceati incederent, ut patet ex Isaia 20. v. 2. Angelus quoque Petro in carcere præcipit, Act. 12. v. 8. ut subliget sandalia sua, seque sequatur. Prohibet autem vicissim quatuor: 1. *Penam*, per quam intelligit manticas, in quas peregrè proficiscentes comæatum, aut pretiosiores vestes recondere solent. 2. *Panem*, per quem morè Hebræorum intelligit omnem cibum, & quicquid ad victum facit. 3. *Es in zona*: his intelligit pecuniam, quæ tum temporis maxime æreis nummis, Budæo teste, constabat, & in zonis loculorum vice ponebatur. 4. *Binas tunicas*, seu vestes mutatorias. Vult enim illos contentos esse iis vestibus, quibus jam induti erant, ne plures assumerent. Notandum autem, quod hoc præceptum tantum pertinet ad hanc Apostolorum professionem. Quia

Quia enim ad hoc mittebantur, ut non, sicut Baptista, Messiam mox venturum nunciarent: Sed iam propius adesse testarentur. Ideo non vult illos instrui sarcinis viatoris, quasi ad longinquum iter & diurnam legationem: Sed ut festinantes, non diu in uno loco commorentur, verum postquam indicarunt Messiam jam venisse, protinus alio se conferant. Atque sic brevissimo temporis spatio, absque omnibus impedimentis, hoc tam necessarium & salutare legationis munus absolvant. Alias enim ipsis concessum fuerat, secum portare panes, quod tum alibi, tum etiam Marc. 8. v. 5. ex historia Evangelica patet. Usos etiam ipsos esse vestibus ad peregrinationem aptis, ex 2. Tim. 4. v. 13. colligere licet. Imò & Christus in suo commineatu habuit loculos & pecuniam, Joan. 12. v. 6; 13. v. 29. Ut hinc nec Franciscani, quibus religio est pecuniam contrectare, aut aliis calceis, præterquam fenestris, uti, superstitionis suæ, nec etiam Ministerii ofores suarum calumniarum integumentum desumere possint, quibus sudes in oculis est, si videant Verbi ministros pecuniam possidere, & vel ex stipendiis, vel ex hereditate honestè se suosque alere. Temporarium enim hoc erat, & tantum ad præsentem legationem pertinebat, in qua volebat Christus suos Apostolos hoc quasi tyrocinio ad futuros labores & pericula præparare, ne postea vel famis, vel nuditatis, vel egestatis metu ab officio cessarent, sed imperterriti munus suum obirent, cum re ipsa experti sint, quod illis, qui in Christi vocatione ambulant, nihil desiterum necessarium. Et hunc finem hujus præcepti fuisse ipse Christus in ultima cœna monstrat, ubi inquit Luc. 22. v. 35. Quando misi vos absque sacco, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et ipsi nihil sibi defuisse fatentur. Voluit simul confirmare illud Joh. 18. v. 36. regnum suum non esse de hoc mundo. Mundani Principes externum splendorem in instruendis & dimittendis suis legatis quarunt, neque immerito. Prodest enim ipsorum magnificentiam & potentiam passim innotescere. At Christus in peragendo salutis nostræ opere mundi fastum non curat, sufficit ipsi, quod non ipse tantum in extrema humilitate suum populum à superbi Diaboli tyrannide liberavit: Sed etiam per hosce humiles suos ministros, omni mundano fastu destitutos, omnem ipsius potentiam per totum terrarum orbem devicit, & in ipsorum exemplo fideles Verbi sui ministros docuit, nihil rerum necessarium ipsis in hac vita defuturum, si modo fideliter munere suo fungantur.

Secundum præceptum est de iis, ad quos Apostoli hac vice ablegantur: *In viam gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini. Sed ite potius ad oves perditas domus Israelis.* Duo membra complectitur hoc præceptum. Unum monet, à quibus abstinere debeant: alterum docet, quibus prædicare debeant. Inhibentur primum, ne abeant *in viam gentium*, hoc est, ne hac vice fines Judææ exeant ad prædicandum gentibus. Hæ enim adhuc hostes erant populi Dei, & à vera Dei agnitione prorsus alieni, nec dum maceries illa medii parietis erat soluta. Ephes. 2. v. 14. Deinde quoad *Samaritanos*, urbes eorum ingredi vetat. Esti enim verum Deum profiteban-

tur, Moysè item & patribus gloriabantur: mixtam tamen religionem habebant, & plurimum de gentibus etiam participabant. Itaque urbes eorum ingredi, & apud ipsos Evangelium prædicare prohibet, vias autem prohibere non potuit, quia, ut ex Joan. 4. v. 4. manifestum est, Samaria inter Judæam & Galilæam intermedia jacebat, ut ex una, in alteram proficisci non potuerint, nisi Samaritam transierint. Jubet autem eos abire *ad oves perditas domus Israelis*, & per hæc oves intelligit tribum Juda, Benjamin, & Levi, quæ tres tribus Israelis post transmigrationem Babylonicam in terram benedictam reductæ fuerunt, quibus tamen multi etiam ex reliquis tribubus se adjunxerant, & in terram patribus promissam reversi fuerant. Hæ oves vocat, quia ipsorum fuit adoptio, testamentata, legislatio, cultus, promissiones, Patres, & ex ipsis erat Christus secundum carnem. Rom. 9. v. 4. *Perditas* autem dicit, quia destituebantur bonis pastoribus & doctoribus, per quos ab erroribus suis, & vanis hominum traditionibus ad veram Messiaæ Servatoris sui agnitionem, fidem, & cultum adducerentur. Fuit autem & hoc præceptum tantum temporarium. Cum enim Christus fuerit minister circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, Rom. 15. v. 8. utique voluit, ut Judæis, tanquam filiis regni, toto illo tempore, quo ipse ministerio in his terrisungebatur, primo gratia Dei offerretur. Et cum aliquin Judæi ipsum Samaritanum esse calumniarentur, Joh. 8. v. 48. noluit confirmandæ calumnie occasionem præbere, si Apostoli cum ipsis familiaris versarentur. Sicque constantem suam & plus quam paternam pro populo suo curam demonstrare voluit. Elegerat eos jam olim ex omnibus terræ gentibus, ut inter illos sui verbi & cultus sedem constitueret: & licet hanc gratiam sæpius contemserint, sæpius etiam cultum verum prophanarint, ut vel centies cum templo & urbe abdicari meruerint: semper tamen pacti memor, reliquias aliquas conservavit, quas non saltem per Prophetas, sed etiam jam ipse visitat, & in eum finem hic Apostolos suos emittit, ut ipsos dispersos colligat, & ad cœleste suum regnum præparet. Ut rectissime ipsis objicere potuerit: *Quid est quod debuisti ultra facere vineæ meæ, & non fecisti? Isa. 5. v. 4.* Postquam autem incurabili contumacia pertinacissime adversus ipsum luctati sunt, & tandem ipsum publice coram Romano præside abnegarunt, ipse eos vicissim abiecit, ne essent populus, urbem & templum per Romanos miserandum in modum excindi passus est, & regnum Dei ab ipsis ablatum in gentes transfudit. Unde post resurrectionem Apostolis aliud præceptum dedit, mandans, ut exirent & docerent omnes gentes, Matth. 28. v. 19. & prædicarent Evangelium omni creaturæ: Marc. 16. v. 15. sui que testes essent in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ, Act. 1. v. 8. Interim tamen etiam hoc temporarium præceptum fideles verbi ministros admonet, ut singuli se intra metas legitimæ suæ vocationis, ad pascendum illam Dei gregem, qui ipsis commissus est, 1. Petr. 5. v. 2. contineant, nec latius evagentur: aut falcem suam in alterius pastoris messem, nisi speciali concessione, vel vocatione, mittant.

Ter-

Tertium præceptum instruit Apostolos de genere doctrinæ, quid docere debeant, & ad quid potissimum ablegentur. *Euntes predicare dicentes: Appropinquavit regnum cælorum.* His verbis summa & caput totius prædicationis insinuat. Expectabant Judæi regnum carnale & temporale, in quod Messias ipsos, pulsus Romanis & aliis hostibus, collocaturus esset. Christus ergo Apostolis disertè injungit, ut apertis verbis omnibus denunciarent, adesse illud tempus, quo Deus promissum humani generis Servatorem miserit, qui destructo Diaboli regno, illud à Daniele 2. v. 44. promissum cælorum regnum erecturus esset, in quo iustitia & salus dominaretur. Necessè itaque esse, si modo propria salutis cura tangantur, ut sepositis omnibus vitiis & peccatis, abjectis omnibus mundanarum rerum studiis, quibus à cælorum regno homines impediuntur, maxima cum alacritate & diligentia ad oblatam gratiam se per pœnitentiam præparent, ipsumque Messiam, cum regno suo advenientem, totis animis & firma fide amplectentur. Nam quod Apostoli hoc modo regnum cælorum annunciarint, abunde satis id contestatur Marcus, qui hanc historiam ita concludit: quod Apostoli prædicarint, ut homines respicerent. Convenit, hoc cum illo, quod Christus post resurrectionem Apostolis injunxit, ut regnum cælorum hoc modo annunciarent, ut in suo nomine prædicarent pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. v. 47. Et quot præcipuè membra hæc prædicatio regni cælorum complectatur, jam aliquoties in historia Baptista & ipsius Christi, ut & capite precedenti, indicatum est. Quæ utilis fuerit huc transferre. Neque enim putabimus ipsos duntaxat hæc voces ingeminasse: *Appropinquavit regnum Dei: appropinquavit regnum cælorum.* Sed potius, quæcunque tum ex Baptista concionibus, tum in Christi schola, de Messia adventu, de abrogatione typorum veteris Testamenti, de vera pœnitentia, de beneficiis Messia, de vera fide, quæ beneficia illa applicantur, de gratuita peccatorum remissione, de æterna vita & salute didicerant, illa fideliter aliis quoque communicarunt, sicque eorum animos adhuc Jesum, pro vero mundi Messia suscipiendum, præpararunt.

Cæterum hoc præceptum non fuit temporarium, ut præcedenti duo; sed adhuc hodie durat, & ad finem usque mundi durabit. Quid enim adhuc hodie nos verbi præcones majori cum fructu nostrorum auditorum tractare poterimus, quam ut denunciemus, adesse præ foribus illud tempus, quo cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent, 2. Petr. 3. v. 12. atque sic æternum cælorum regnum appropinquasse? Quæcunque enim & oculis & auribus nostris obijciuntur, illa quasi Stentorea voce clamant, adesse mundi finem. Testantur hoc continua illa bella & bellorum rumores, seditiones, terræ motus, annonæ caritas, pestifera lues, cum aliis prodigiis, quæ Christus novissimis temporibus adventura præmonuit. Et ipsa mundi machina laborare videtur, terræ fecunditas dudum deficit, deficiunt pisces in aquis, volucres in aere, fidi homines in mundo, partium anni vices mutantur, ut jam æstatem in hyeme, & hyemem sæpe in media æstate experiamur, sylva & nemora minuantur, & paulatim terræ thesaurus ita

Harm. Tom. 1.

exhauritur, ut multis in regionibus terra vix alendis suis colonis sufficiat. Et tamen hominum animos à nimio fluxi hujus & caduci mundi amore non possumus abducere, & ad studium regni gloriæ sive cælorum excitare. Itaque omnes nostræ conciones meritò nihil aliud sonare debent, quam, *appropinquavit regnum cælorum, agite pœnitentiam, credite Evangelio*, non diligite mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, quia mundus cum Schemate suo transiit, Joh. 2. v. 15.

Quartum præceptum fuit de miraculis, quæ ad data fuere doctrinæ, ad ejus confirmationem. *Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscite, demonia ejicite.* Fuit hoc non tam nudum præceptum, quam efficax traditio facultatis edendi hæc miracula. Ut enim Deus olim Moysem, ex deserto in Ægyptum ablegans ad Israelitas, ut illos collectos ex Ægyptiaca servitute educeret, signis instruxit, quibus verbis suis fidem adstrueret, atque se vere à Jehovah missum esse comprobaret. Exod. 4. v. 1. Sicut etiam postea legem traditam stupendis miraculis confirmavit, ut Hebræi certo divinam doctrinam eam esse crederent. Ita quoque Christus hosce suos Apostolos, homines illiteratos, ad perditas Israelis oves ablegans, signis & miraculis instruit, quibus Judæos, populum signis assuetum, & difficilem legem Mosaicam deserturum inducerent, ut Messiam, de cujus miraculis Propheta Jesa. c. 35. v. 5. prædixerat, adesse crederent, ipsiusque Evangelicam doctrinam amplecterentur. Et quidem Moyse, ob contumaciam Ægyptiorum, & cordis duritiam Judæorum, data fuerunt signa, quæ terrorem incuterent: Apostolis autem concessit potestatem ejusmodi miracula edendi, quibus corporalis salus & incolumitas hominum promoveretur, ut per ea doctrina Evangelica non tantum admirabilis, sed etiam grata & accepta redderetur. Efficacia autem horum signorum, quoad spirituales hominum salutem non cum Apostolis desinit, sed in ministerio Ecclesiastico adhuc hodie durat. Nam omnium verbi ministrorum est, ut spiritualiter *infirmos sanent*, hoc est, in renatis virtute Spiritus & verbi divini vires instaurent, quibus in novitate vitæ ambulent: ut peccatum, *spiritualem lepram*, quod tenacissimè nobis inhæret, Hebr. 12. v. 1. virtute Sacramentorum abstergant & homines adducant, quo vitæ sanctimoniam sectentur: ut in peccatis *mortuos* Ephes. 2. v. 1. per pœnitentiam reviviscere faciant, Luc. 15. v. 32. ut denique *diabolos pellant*, hoc est, homines permoveant, quo excusso Satanæ jugo eundem sub pedibus suis conterant, Rom. 16. v. 20. sicque in spiritus libertate Christo redemptori suo serviant.

Quintum præceptum facit ad reprimendam, tum turpem avaritiam, tum detestandam superbiam. *Gratis accepistis, gratis date.* Magna sunt, quæ Christus jubet Apostolos Judæis offerre: regnum nimirum Dei & dona sanationum. Amplissima itaque offerebat se occasio, & animum effrendi & quæstum faciendi. Prævidit quoque Christus in Judæo animo, quid sacra auri fames factura esset. Cumque semina mali omnium cordibus inhæreant, omnibus quoque hoc dicit: *gratis accepistis.* Ergo, nolite luperbire. *Gratis date:* ergo nolite turpis lucri cupidi esse. Cæterum quia duo membra præcedunt, unum de prædicatione, alterum

Uuu

alterum

alierum de donis sanationum, quarunt docti, utrum hoc præceptum ad utrumque membrum, an verò saltem ad posterius sit referendum. At verò circumstantiæ ostendunt, illud tantum ad *χαρισματα* Spiritus referendum esse. Nam quoad prædicationem Evangelii Christus mox ipse docebit, & Apostolos & alios, qui Ecclesiis serviunt & ministrant, ex ministerio illo honestum victum habere debere. Vult ergò saltem vetare, ne ex miraculis, quæ in suo nomine facerent, quantum privatum captarent. Sicut nec Elisæus propheta à Naamano Syro, à lepra mundato, munera accipere voluit, licet is quasi per vim obruderet, 4. Reg. 5. v. 16. Cumque postea famulus ipsius Gihezi, in scio Propheta, eadem exigeret, ipse lepra punitus est v. 27. Et vigore huius præcepti Petrus, cum Simón Magus pecuniam offerret, ut & ipse acciperet potestatem conferendi Spiritus sancti dona, eidem dicit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. v. 20. Rationes autem huius præcepti sunt planæ & manifestæ. 1. Res spirituales non possunt terreno aliquo pretio compensari: atque idcirco vendi non debent. 2. Illud solum vendi potest, cuius quis est Dominus. At Apostoli horum donorum non Domini, sed tantum dispensatores sunt, 1. Cor. 4. v. 1. Cur ergò de alieno quantum privatum facerent? 3. Quia hæc dona ex gratuita sui Domini liberalitate acceperant. At turpissimum scelus est, si legatus ex gratia, quam Principis sui nomine subditus offerre debet, lucrum venetur, & miseris eo ipso gravet, ex quo illi refectioem percipere debebant. 4. Denique in conferendis illis donis à muneribus abstinere debebant, ne gratia Dei vilesceret: sed ut ex gratuita Dei beneficentia, & contemptu munerum, homines tantò magis provocarentur ad admirationem horum *χαρισμάτων*, ad glorificandum Deum, & acceptandam doctrinam, quam prædicabant. Solent enim homines ea beneficia minus admirari, & magnificare, quæ putant se aliquo modo compensare posse. Nec quicquam efficacius auditores pertrahit, quam quando vident, Doctores nihil, præterquam ipsorum salutem, nec ipsorum bona, sed ipsos quærere, 2. Cor. 12. v. 14.

Taxatur ergò hoc præcepto non tantum Simonia Pontificiorum, apud quos venales sunt ordines Ecclesiastici, imò omnia sunt venalia, administratio Sacramentorum, remissio peccatorum, indulgentiæ, cælum & nihil non, juxta versiculos Mantuani:

— — — Venalia nobis

*Templa, sacerdotes, altaria, sacra, corone,
Ignes, thura, preces, cælum est venale, Deusq.*

Contra quam Simoniam ipsi agunt in jure suo Canonico, maxime Cauf. 1. Quæst. 1. quod tamen non observant. Sed & omnibus Evangelicis ministris inculcandum, ut attendant illud Pauli, 1. Tim. 3. v. 3. Episcopus non sit *αἰσχροκερδής*, turbis luci cupidus: Ne ipsis objici possit, quod Deus Judæorum sacerdotibus, Mal. 1. v. 10. objicit: quis est in nobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Detestandum quoque est, si Collegis de summa doctrinæ Christianæ laudabiliter conveniat: de accidentibus autem (ut vocant) turpiter inter se digladiantur. Et experientia testatur, eos, qui hac mentione leviculam aliquam occasionem

in re familiari ex accidentibus sumunt, summam interim jacturam existimationis suæ inter auditores facere. Sunt hi valde *δολιχόπρῑτοι*, qui Domino suo Jesu Christo, cui serviunt, parum fidunt. Alioquin non dubitarent, eundem ipsis, si fidem in ministerio suo ipsi præstant, de necessariis ita prospecturum, ut corvi potius ipsis alimenta afferre cogerentur, sicut Elia. 3. Reg. 17. v. 4. quam esurirent.

Interim hanc particulam *δωρεὰν gratis*, maxime in doctrina justificationis nostræ observemus, qua voce Apostolus uti solet, ut ostendat, nobis justitiam conferri, non ex operibus legis, sed ex mera Dei gratia, quam Christus suo merito nobis paravit. Unde apud Prophetam clamat: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, propterea emite, & comedite: venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac. Jesa. 55. v. 1. & rursus: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11. v. 28.

Sextum præceptum eos instruit, qualiter in ipsa hac peregrinatione se gerere debeant, & cum primo coincidit. Emisit enim ipsos absque omni comatu, partim ut innueret, hanc profectioem non fore diuturnam, partim ut ad fiduciam erga Deum eos assuefaceret, ut discerent, nihil defuturum iis, qui in vocatione divina ambularent, & fideliter, quæ muneris sui essent, exsequerentur. Jam iisdem de causis prohibet, ne in ipso itinere pluribus sese onerent. *Ne possideatis aurum, neque argentum, neq; as in crumentis vestris, neq; peram aditer, neq; panem, neq; pecuniam, neq; binas tunicas habueritis, neq; calceamenta, neq; virgam.* Vult autem ut Deo suo fidant, & toti ab ipsius providentia pendeant, præsertim in hac legatione, quæ ultra exiguum temporis spatium esset finienda. Cumque cœlestis pater norit, nos victu & amictu ad hujus vitæ sustentationem indigere, nec velit regnum vitæ quærentibus quicquam deesse, Mat. 6. v. 32. vult ipsos certo statuere, se in hac peregrinatione non neglectos iri, si maxime, sicuti sine comatu ab ipso discesserunt, sic nec in ipso itinere de eo influendo solliciti essent. Unde etiam in hoc præcepto prohibet, quæ in 1. præcepto concesserat, qualia sunt *calceamenta & virga*, sive baculus. Hic misere se torquet Augustinus & alii, ut Marcum cum Matthæo concilient. Ille enim *sandalia & baculum* Apostolis à Christo ad iter concessa, hic vero eadem prohibita esse perhibet. Quidam putant alterutrum Evangelistarum memoria lapsum, negare id, quod alter affirmavit. At si hoc in uno loco concesserimus, periculum est, ne totum Evangelium nobis incertum reddatur. Idcirco Augustinus ad mysticum sensum confugit, & *virgam* aliter apud Marcum, itemque aliter apud Matthæum accipiendam statuit. In Matthæo proprie, in Marco autem figuratè vel mysticè, pro potestate à Domino accepta, accipiendi quæ ad victum & vestitum essent necessariæ. Sic quod Matth. *calceamenta* prohibita dicit, illud simpliciter & proprie accipiendum putat. Quod autem Marc. *sandalia* concedit, intelligit, per genus illud calceamenti, quod pedem de super non tegit, sed tantum plantam, significatum, Evangelium non esse occultandum, nec terrenis commodis innitendum. Sed ut ad hujusmodi figuratas

guratæ explicationes confugiamus, minime est opus. Neque Evangelistæ inter se contraria, sed diversa scribunt, quæ utraque Christus suis Apostolis, quoad hanc legationem, in mandatis dedit. Unum est, quod iter ingredientibus concessit, ut sandaliis pedes munirent, & baculum, quo se sustentarent, assumerent. Alterum est, quod iter ingressis interdicit, ne calcementa mutatoria sibi compararent, neve virgas defensionis, seu baculos armatos secum portarent. Nam hujusmodi duplici calcementi genere Judæos usos esse, vel unicus ille locus Jos. 9. v. 5. de Jabaonitis ostendere potest, ubi *אנשי דבריהם & צמדיהם* conjunguntur, *Als wenn einer Schuh und Pantoffel übereinander anzieht*. Et in historia Baptistæ, quia Joh. 1. v. 27. dicitur: Ego non sum dignus Messia solvere corrigiam calcementi: Matthæus verò 3. v. 11. Ego non sum dignus Messia calcementa portare, subinnuitur, interdum viatores vel iter facientes duplici calcementorum genere usos esse, uno in via, altero, quod discipuli vel ministri portarent, ut eos se induerent, postquam locum, ad quem tendebant, attingissent. Prius calcementi genus Christus in primo præcepto concedit, posterius verò in hoc sexto præcepto prohibet. Eadem ratio est virgæ, seu *baculi*. Nam baculi apud Judæos non erant unius generis. Etenim Exod. 21. v. 19. legimus de baculo, super quo quis ambulat, & v. 20. de virga, qua quis servum vel ancillam percudit, ut moriantur. Item Psal. 2. v. 9. de virga ferrea. In historia quoque Absolonis 2. Reg. 18. v. 15. legitur, quod Joab acceperit tres virgas, id est, lanceas ex virgis factas, easque in cor ipsius adegerit. *וַיִּקַּח עִנְיָם וְבַצִּלָּה וְלַחֲמַשׁ וַיִּקְרַע אֶת הַבְּצִלָּה וַיִּקְרַע אֶת הַלַּחֲמַשׁ וַיִּקְרַע אֶת הַבַּצִּלָּה* enim virgam, baculum, & lanceam significat. Christus ergo apud Marcum tales virgas seu baculos concedit, quibus viatores sustentationis causa indicent. Apud Matthæum prohibet baculos, quibus loco armorum uti poterant; sicut Monachi tales habent baculos, intra quos gladii, vel etiam bombardæ sunt reconditæ. Et ex Luca patet cap. 22. v. 38. item ex Joh. 18. v. 10. Petrum & reliquos Apostolos interdum gladios secum habuisse. Hoc Christus in præsentis professione prohibet. Pacis enim, non autem offensionis legati futuri erant. Sic ergo videmus, Evangelistas non contradictoria referre, sed ea dextrè describere, quæ Christus Apostolis in mandatis dederat.

Cæterum ne Apostoli judicarent, sibi ex mendicato vivendum esse, sicut faciunt Capucini & alii Monachi mendicantes, eo quod velit ipsos gratis homines docere & sanare, & prohibeat, ne quicquam in via deferant, unde nutriantur & vestiantur, addit: *Nam dignus est operarius alimento suo*. Quibus verbis indicat, unde ipsi Apostoli, & alii verbi ministri vitæ necessaria sperare & petere debeant. Nimirum, quia sint operarii in messe dominica, qui germanos Dei filios collecturi sint in Ecclesiam Messia, & horreum cœlestis: Naturæ autem lex doceat, operarium mercede & cibo suo dignum esse: Ideo spem facit Christus, *quod omnis Dei filios & æternæ salutis hæredes sponte sua ipsis oblaturos, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt*. Ex hoc Christi loco, sicut etiam ex repetitione ejusdem, quæ legitur Luc. 10. v. 7. Paulus desumpsit suam doctrinam de stipendiis ministrorum.

Harm. Tom. I.

Ecclesiæ, quando ad Corinthios 1. Cor. 9. v. 14. scribit, Dominum ordinasse iis, qui Evangelium annunciant, ut de Evangelio vivant. Et addit rationem aliam ex Vet. Testamento sumtam, in quo, ex Dei ordinatione illa fuit Sacerdotum conditio, ut, qui sacris operabantur, quæ de sacrario erant, comederent: & qui altari deserviebant, de altari etiam participarent. Omni tempore, inde ab initio, mundus semper prodigus fuit in idololatriam, & erga falsos impiosque Doctores, sordide, verò parcus erga sinceros verbi ministros. Jezabel ultra octingentos falsos Prophetas Baal de regia sua mensa cibavit, 3. Reg. 18. v. 19. dum Prophetæ Domini centum in speluncis abditi, pane & aqua sustentabantur, v. 13. Sic adhuc hodie plerique, quorum Majores sub Papatu ad alendos ventriculorum Monachorum greges ad prodigalitate usque fuere liberales, illi nunc erga sinceros puri Evangelii præcones sunt sordide parci. Præterea, verbi præcones esse otiosos & ignavos fucos, qui ex aliorum labore & sudore victitare cupiant. Debere eos imitari Paulum, qui sibi ipsi manuum labore victum paravit, ut Corinthiis gratis Evangelium prædicare posset. Contra hujusmodi rigidos & iniquos rerum censores, Christus ministros suos hac sententia tuetur; vocans eos *Operarios*. Licet enim non manu laborent & operentur, si tamen muneris sui partes diligenter & fideliter exsequantur, lectioni sacræ assidue incumbendo, pro grege fidei suæ commissio excubando & precando, singulos docendo, monendo, corripiendo, consolando, nemo eos justè ignavi otii insimulare poterit. Cum ergo naturæ jus doceat, operariis reddere, quod pro labore ipsis debetur, Deus quoque hanc legem ita antiquitus corroboravit, ut talem mercedem apud nos pernoctare nolit: Levit. 19. v. 13. Deut. 24. v. 15. Scriptura in super inter clamantia peccata refert, Jac. 5. v. 4. quod peccatum Deus ipse punire velit, Malach. 3. v. 5. Christus rectè hic concludit, dignos esse eos *cibo suo*, seu ut habetur Luc. 10. v. 7. *mercede sua*. Neque Apostoli Pauli exemplum trahendum est in præjudicium aliis verbi ministris. Nam quod Paulus à Corinthiis nihil accepit, sed manuum suarum labore victum sibi acquisivit, illud fuit peculiare, & faciebat ad redargutionem ipsorum ingratitude erga ipsius ministerium. Quia enim is ex divina revelatione didicerat, Christum multum populum in illa civitate habere: Act. 18. v. 10. non poterat bona cum conscientia inde abire. Cum ergo illi minus liberaliter ipsum tractarent, coactus est aliam victus rationem inire, atque ex arte sua manuarum eum comparare. Usque adeo igitur suo exemplo aliis nihil præscribit, ut potius eo ipso Corinthiis illiberalem suam morositatem & tenacitatem exprobrat. Quæ verò alias ipsius fuerit sententia de ministrorum Ecclesiæ stipendiis; id in epistolis ad Galat. 6. v. 6. 1. Tim. 5. v. 17. in primis autem 1. Cor. 9. v. 7. & multis sequentibus verbis ostendit. Ex quo loco Augustinus in primis vocabulum *ὁ μισθός* seu *stipendii*, (quo adhuc hodie de salariis verbi ministrorum loquentes utimur) urget. Sumtum illud est ex re militari. Boni milites pro patria, pro Republica & pro imperii salute militant, & hunc unum finem, nec alium sibi propositum habent: accipiunt tamen etiam stipendium,

Uuu 2

um, non tanquam militiae mercedem, sed tantum, ut inde vitæ necessaria parent, & in militia perdurare queant. Nam si stipendium mercedis loco accipiant, nã rem magnam vili pretio vendunt: vitam nimirum suam pro exigua pecuniola venalem exponentes. Et tamen, proh dolor, multi inveniuntur, qui non propter salutem reipubl. sed tantum propter ea, quæ accipiunt, vel etiam rapiunt, militant. Sic quoad Ecclesiasticos operarios, debent illi Deo militare, propter Ecclesiæ salutem, non propter temporalia. temporalia autem, hoc est, victum & amictum debent accipere tantum eum in finem, ut in sancto opere persilire queant. Hoc qui attendit, is videt, quomodo inter operarium & mercenarium distingui possit. *Mercenarii* in Ecclesia Christi malè audiunt, Joh. 10, 12. qui nimirum propter annonam & mercedem Ecclesiæ suam operam locant, honoris Christi, & salutis Ecclesiæ per exiguam curam habentes. *Operarii* autem non male audiunt: quia mercede & alimento suo sunt digni. *Mover* autem simul hæc brevis sententia hæc tria. 1. Si operarii sunt digni. Ergo Ecclesiastici stipendiis indigni sunt, qui non operantur pro fidelium salute. 2. Quia digni sunt, & ego Dñs curis cibo suo. Ergo studium ditescendi & thesauros accumulandi ex operis Ecclesiasticis (qualiter patrimonium Petri jam est auctum) operarium Evangelicum non decet: sed habentes *his de quibus dicitur, quod non est deus, & quibus tegamur, his contenti simus*, 1. Tim. 6. v. 8. 3. Unde verò accipere debeant, Christus quidem non exprimit: sed lex naturæ docet, meritò illos alimenta præbere debere, quibus quis operatur. Si tamen hi ipsi vel indigentiores, vel etiam inhumaniores essent, liceret etiam aliunde subsidia sumere. Sicuti Paulus à Macedonibus subsidium accepit, dum Corinthi in Evangelio laboraret, 2. Cor. 11. v. 9.

Disputant hic quidam, an in hoc Christi præceptum peccetur, si quis verbi minister ex proprio are vivere, nec ullum stipendium accipere velit? Sed res per se plana est. Si quis luculentioris fortunæ minister gratis Evangelium docere velit, is contra hoc Christi præceptum minime peccat. Neque enim ita præcise præcipitur, ut Doctores alimenta ab auditoribus accipiant, quia ob certas & iustas causas quis suo juri hic renunciare & alimentorum exactionem suspendere possit. Sicuti Paulus apud Corinthios id fecit. Sed si quis hoc ea opinione faciat, quasi coram Deo plus mereatur, & in perfectiore gradu constituatur, quasi etiam Johannes Baptista hoc nomine perfectior fuerit quam Christus, eo quod hic pecunias acceperit, ille verò non, is errat. Laudem tamen suam meretur & commendationem ejusmodi ministerium gratuitum, quod in vita quoque æterna sua non destituetur remuneratione.

Septimum præceptum de eligendo & retinendo hospitiis agit. *In quamcunque civitatem aut vicum fueritis ingressi, exquirite, quis in ea sit dignus. Et in quamcunque intraveritis domum, illic manete, donec exeatis inde.* His verbis Christus duo præcipit. 1. Ut in deligendo hospite sint circumspecti, ne sine discretionem ad quosvis, etiam malos, indignos, aut scelere aliquo infames diverterendo, sacrosanctæ huic legationi labem aliquam adspargant. Vult ergo, ut ingressi in civitatem vel

vicum, ante omnia inquirent, ecquis eo loco sit dignus, ad quem citra offensionem sive sui, sive suæ doctrinæ, divertere possint. At verò quem dignum dicemus? cum natura omnes æque situs peccatores, & æquam gloria Dei, Rom. 3. v. 23. & ne ad cogitandum quidem aliquid boni simus idonei? 2. Cor. 3. v. 5. Ac proinde, quando cœlestium bonorum præcones ad nos accedunt, dicere cogimur: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, Matth. 8. v. 8. Aut cum Petro: Exi à me Domine, quia homo peccator sum, Luc. 5. v. 8. Dignos ergo Christus hic dicit, non eos, qui cœlestia bona sua virtute & operibus mereantur: Sed qui propriae suæ indignitatis sibi conscii, serio tamen cœlestis veritatis desiderio teneantur, redemptionem Israelis expectent, ac proinde Evangelii doctrinæ favent: quales fuerunt Zachæus, Luc. 19. v. 3. & alii publicani, qui nulla propriae justitiæ opinione turgidi, Dei justitiam esuriebant & sitiebant, Matth. 5. v. 6. Dignitas ergo hæc non ex nostro merito, sed potius ex indigentia nostra æstimanda est, & perinde ac si quis operario in valido mercedem numerari curet, non pro ratione operis, sed pro ratione ipsius inopia. Mittebantur enim Apostoli, tanquam spirituales Medici, ad ægrotos, tanquam justitiæ præcones ad peccatores, & tanquam principis pastorum, servi ad oves dispersas. Cumque ex Christi abundantia illorum defectui mederi deberent, omnis illorum dignitas ex indigentia & indigentia agnitione metienda est.

Deinde præcipit Christus, ne Apostoli hospitiis, in quod diverterunt, temere mutent, quod morosi & delicatuli facere solent: neve de domo in domum transeant, vel per oppida impudenter discurrant, & in abdita hominum cubacula penetrent. Faciunt hoc aliqui ea spe, ut hominum animos tanto magis sibi devinciant. Et sanè simpliciores hoc modo inescari possunt, sicuti Paulus 2. Tim. 3. v. 6. mulierculas sic captivas duci fatetur. Sed vera hujusmodi discursationes vagæ indicium sunt animi impudentis & insatiabilis, & qui illis student, fere plurimum odii & invidiæ ipsi sibi attrahunt, propterea, quod multis sese immisceant, quæ nihil ad ipsos pertinent. Malam quoque gratiam referunt suis hospitiis, quos in suspicionem conjiciunt, quasi sua inhumanitate eos, quos semel intra ædes suas susceperunt, ejicerent. Vult ergo Christus, ut Apostoli sui in domum aliquam ingressi, in ea mansionis suæ sedem firmam figant, donec expedito suo munere inde rursus discedant. Sicque re ipsa commonstrent, se esse frugales, modestos, & *divites*, seu sua sorte contentos: ne hinc inde discurrendo se ipsos in contentum simul & suspicionem adducant, quasi privati commodi potius quam regni Dei amore ducantur.

Hoc Christi præceptum est omnium temporum & locorum, hæc ratione, quod verbi ministri in tota sua vita sibi diligenter à prophanorum hominum consortio cavere debent. Etenim quis credet illi Ecclesiæ ministro verum Dei cultum, temperantiam, sanctitatem, justitiam, pudicitiam, castitatem, beneficentiam, & alias ejusmodi virtutes cordi esse, qui quotidie superstitiosorum, ebriosorum, prophanorum, libidinosorum, avarorum, usurariorum, impudentium commestatorum atque helluonum consortio gaudet, cumque

ipsis

ipsis absq; omni discrimine conversatur, commefatur, iudit & perporat. Si enim Christus non vult suos in talium privatas aedes necessarii victus causa divertere, multo minus feret, si per publicas popinas & tabernas cum illis discurrere velit. Hoc qui faciunt, sibi imputent, si contemnantur postea ab iis, à quibus in pretio & honore haberentur, si munere suo diligentius fungerentur.

Octavum præceptum monet, quo indicio deprehendere debeant, quis hospes sit dignus, & quid in domum ejusmodi ingressi facere debeant. *Cum intrabitis domum, salutate illam.* Salutandi verbo preces & vota complectitur, quibus felicia & fausta quævis hominibus à Deo precantur. Quam autem salutandi formula uti debeant, Luc. 10. v. 5. exprimit, & injungit, ut dicant, *Pax huic domui.* Et quidem apud Judæos usitata hæc fuit salutandi formula antiquitus: שלום לך, Pax tibi. Ubi pacis nomine omnia prospera, tranquilla & læta intelligunt. Hanc antiquam salutandi formulam non totam immutat, sicut Christus in ejusmodi externis nunquam ambitiose novitatis studiosus fuit. Leviter tamen aliquo modo inflectit, jubens dicere, non, pax tibi, sed *pax huic domui*, ut nimirum mox ex ipsa formula tota familia intelligeret, rem novam hic agi, & adesse felicissimum illud dudum promissæ & diu expectatæ salutis sive pacis tempus. Hanc salutationem non fore otiosam sed efficacem & benedictionibus gravidam, si credula mente eam accipiant, satis perspicue docet, inquiens: *Si domus fuerit digna, pax vestra veniat super illam.* Pax Apostolorum dicitur ratione ministerii, quæ propriè fuit pax Christi. Sicut ipse dicit, Johan. 14. v. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Etenim natura omnes sumus propter peccatum filii iræ, Eph. 2. v. 3. & inimici Dei, Rom. 5. v. 10. At filius Dei peccata nostra omnia in se transfudit, iisdemque mortis suæ meritò expiatis, per sanguinem crucis suæ pacificavit omnia, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis sunt, Colof. 1. v. 20. Hinc dicitur Princeps pacis, Esa. 9. v. 6. Et Angeli in natali ejus cecinerunt, pax in terra, Luc. 2. v. 14. Hic enim est filius ille dilectus, in quo pater est placatus, Matth. 3. v. 17. Hanc pacem merito sanguinis Messie partam, quoniam Apostoli prædicaturi erant, juxta illud, Esa. 52. v. 7. quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, prædicantium bona: idèò ratione ministerii ipsorum pax dicitur, quæ alioquin est pax Dei exsuperans omnem sensum, Phil. 4. v. 7. Hæc pace digni judicantur illi, qui miseriæ suæ consci, pacis nuntium grato animo & fideli pectore suscipiunt. De his spondet Dominus futurum, ut *pax requiescat super illos*, hoc est, ut coram Deo ratum sit, quicquid illi domui precantur, ut larga Dei benedictio super eos veniat, ejusque favor se evidentibus signis & indicis exferat. Christianæ itaque mentes fastas piorum, præsertim Verbi ministrorum, comprecationes non contemptim habeant, sed magni faciant: statuentes in cœlis firmum fixumque esse, quicquid ipsi in terris sibi mutuo comprecantur. Si quis verò benedictionem hujusmodi Apostolicam respuat, quid tum futurum? Ipsi quidem bene comprecantibus nihil peribit: siquidem *pax eorum revertetur ad ipsos*, & ipsimet Apostolis evenient salutaria illa, quæ indignis & ingratis o-

Harm. Tom. I.

ptaverant. Redeunte autem hac pace ad precantes, indigni isti à maledictione non erunt immunes, eo quod pacis nuntios recipere detreclarint: sicuti mox præcepto sequenti indicabitur.

Interim hoc præcepto Christus innuit, quis sit finis institutæ prædicationis Evangelicæ, ut nimirum per illam nobis pax, hoc est, corporis & animæ incolumitas afferatur. Hæc pace cum natura destituamur, Christum precemur, ut ipse nos dignos faciat in partem sortis sanctorum in lumine, Col. 1. v. 12. Quod fiet, si verbum oblatum audiamus, & grata mente suscipiamus. Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47. Et oves Christi vocem ipsius audiunt, Joh. 10. v. 3. Quam si fide firma suscipimus, tum fide justificati pacem habemus erga Deum: Rom. 5. v. 1. neque ullis conscientiarum terroribus amplius turbamur. Hæc pax omnem mundi intellectum superat, Phil. 4. v. 7. cum nullis tentationibus expugnari possit, & in mediis etiam afflictionibus duret.

Nonum præceptum statuit, quid Apostoli facere debeant, si in civitatem vel domum aliquam ingressi non recipiantur. *Quicumq; non receperit vos, neq; audierit sermones vestros, abeuntes illinc, excutite pulverem pedum vestrorum.* Christus Evangelium suum non vult invitis & reluctantibus obtrudi. Quia verò hoc loco Verbi ministri facile præcipiti judicio errare possunt, sicut quidam mox discedere volunt ab illis auditoribus, à quibus non tanta benevolentia tradantur, nec tanta liberalitate aluntur, quanta cupiunt, nec tanto honore honorantur, quanto seipos dignos æstimant: Ideo attente verba Christi sunt ponderanda, ne temere in ipsius præceptum peccemus. Notat autem is duo vitia unum ingratitude, si pacis & salutis nuntium recipere nolint: alterum contumaciæ, si eos ne audire quidem dignentur. Distinguendum ergò est inter contumaces & infirmos. Ab illis est recedendum: hi verò sunt ferendi, tolerandi & rectius instituendi. Sicut Paulus monet 2. Tim. 2. v. 24. Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse erga omnes, placidum, patientem, qui cum lenitate etiam illos corripiat, qui veritati resistunt, si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Et hoc debent facere exemplo Christi, qui & ipse limum fumigans non exstinxit, & calamum conquassatum non confregit, Esa. 42. v. 3. Matth. 12. v. 20. Quamdiu ergò verbi minister auditur, stationem suam deserere non debet, sed potius juxta Pauli exemplum omnia fieri omnibus, ut quam plurimos lucrifaciat. 1. Cor. 9. v. 22. Si vero alicubi homines adeò sint præfracti, ut verbi præcones nec hospitio dignari, nec sermones eorum audire velint, tum illis repugnantibus non vult Christus suum Evangelium ulterius obtrudi. Reipsa enim testantur, se regno Dei indignos, inque reprobam mentem datos esse, ac proinde verbi ministrum operam & oleum in ipsis sanandis perditurum. Hoc enim est æthiopem lavare, & pardi varietates mutare, Jer. 13. v. 23.

Quid autem in discessu suo facere Apostoli debeant, hoc Christus etiam docet. *Egressi excutite pulverem pedum.* Non vult ut clam se subducant. Hoc enim faciunt, qui malè sibi sunt consci. Sicuti nec Paulus & Silas Act. 16. v. 37. clam Philippis discedere

Uuu 3

scedere

scedere, sed à magistratu deduci voluere. Ideò postea Luc. 10. v. 10. LXX. dicit: *exeuntes in plateas dicite. Voluit ergò, ut ista fierent cum publica protestatione: Etiam pulverem, qui adhæsit pedibus nostris, extergimus in vos. Pulveris excussio multa monebit.* 1. Ostendebant laborem itineris se pro illis quidem suscepisse, & prædicationem Evangelicam etiam ad illos pervenisse: sed sine fructu. 2. Ea protestabantur, quod non caussa terreni alicujus commodi ad ipsos accesserint, cum ne pulvisculi quidem pretium ab ipsis habere cupiant. 3. Indicabant, se in nullo cum illis communicare velle, ob maledictionem & condemnationem, quæ ipsos maneret, siquidem etiam pulvis eorum sibi abominationi esset. 5. Adumbrabat quoque pœnam, quod tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, horribili Dei judicio dissipandi & disjiciendi essent, Psal. 1. v. 4.

5. Testimonii denique loco erat, ne quando ignorantiam prætexere, & Evangelium sibi prædicatum esse, negare possent. Ideò dicitur, *in testimonium ipsis, seu ut Lucas habet, in testimonium contra illos.* Hic enim Dei mos est, ut neminem etiam ad commertam pœnam trahat, nisi prius eam reis denuntiet, quo omnem excusationem ipsis auferat. Postquam autem ipsis denuntiata est, mature ab ipsis discedendum, ut agnoscant, hanc denuntiationem non esse ludum & jocum, sed rem seriam. Ne ergò pii cum improbis pœnæ Dei implicentur, sed ut illi animas suas salvent, non sunt moræ neccendæ, sed cum Lotho absque cunctatione à Sodomitis, pœnitere nolentibus, discedendum, Gen. 19. v. 17. Hac etiam ratione illi, qui nondum omnem veri & boni sensum exuerunt, permoventur, ut eo citius peccatum suum agnoscant, non sibi blandiantur, sed de agenda pœnitentia solliciti sint. Huic præcepto Christi obtemperarunt Paulus & Barnabas, Actor. 13. v. 56. cum Antiochia Pisdia obstinati Judæi Evangelium salutis audire nollent. Nobis quoque, in quos fines seculorum pervenerunt, Spiritus Domini idem præcipit, Apoc. 18. v. 4. qui vult, ut exeamus de Babylone spirituali. Cui præcepto utinam locum darent omnes illi, quibus lux Evangelii in Pontificiis tenebris benigniter affulsit. Sic enim & seipsos & alios multis molestiis liberarent, & animarum suarum saluti rectius confulerent.

Ne verò quis putet hunc excussi pulveris ritum inanem & otiosam esse ceremoniam, sed ut omnes sciant eum præsentissimum effectum habere con-

jectum, ideò Christus objicit: *Amen dico vobis Tolerabilius erit terra Sodomorum & Gamorraeorum in die judicii, quam civitatis illi.* Assumit exemplum pœnæ, Judæis notissimum ob vicinitatem loci. Et manifestè testatur, hosce ingratos Judæos in die judicii graviorem pœnam habituros, quam sustinuerint Pentapoleos incolæ, utcunque extreme flagitiosi. Potest autem hoc intelligi, tum de temporalibus pœnis, tum de æternis. Nam & ille est *dies judicii*, quando Deus in furore arguit peccatores, & in ira eos corripit, Psal. 6. v. 1. qui & vindictæ dies dici potest, Prov. 6. v. 33. Et revera Judæi atrociore pœnas experti videntur sub Imperatoribus Romanis: siquidem Sodomitæ subito sunt absumti, Judæi autem sensim deleti diu in pœnis perdurarunt. Infamia quoque Judæorum longè notior facta est toti terrarum orbi, quam Sodomitarum. Inprimis autem per *judicii diem* intelligitur extremus ille orbis dies universali hominum judicio destinatus. In illo die Judæis, Evangelium Christi repellentibus, graviore pœna adjudicabuntur in inferno in æternum perferendæ, quam Sodomitis. Erunt enim gradus in inferno, ut ibi quidem alii levius, alii gravius sint puniendi pro diversitate impietatis. Quia autem illi, qui etiam levissime in inferno punientur, tantos cruciatus sustinebunt, ut omnes totius mundi calamitates, ærumnæ, tribulationes, angustia, pressuræ, & tormenta ad illos nullo modo comparari possint: debet certè hoc omnes permovere, ne Evangelio Christi se opponant, neve illud contemptim habeant. Quod enim Christus hic Judæis dicit, illud omnibus dictum putabimus. Nam contemptus, vel conculcatio potius Evangelicæ prædicationis omnium peccatorum longè maximum & gravissimum est, quod Deus non tantum in hac vita everfione civitatum & Rerumpub. sed in altera infernalibus gehennæ flammis est puniturus. Dum vice versa omnium ætatum historia testantur, illas provincias & regna floruisse, quæ Christo regum regi portas aperuerunt, Psal. 24. v. 7. Quanta fuerit Imperatoris Constantini gloria, qui Evangelii Christi jugum in se recepit, & Ecclesiis pacem donavit, notius est, quam ut hic opus sit referre. Quotquot pii Principes ipsum imitantur, illi & ipsi habent, quod à Christo expectent. Dum interim de contemptoribus Evangelii verum manet illud Jesh. 60. v. 12. Gens & regnum, quod non servierit Messia, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.

MATTH. 10.

16. Ἰδὲ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς, ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων γινεσθε ἐν Φρόνιμοι, ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι, ὡς αἱ πετειναί.
17. Προσεχετε ἢ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. Παραδώσεται γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαρτυρήσεσιν ὑμᾶς.
18. Καὶ ὅτι ἡγεμόνας ἢ καὶ βασιλεῖς ἀχρήστες ἐνεκεν ἡμῶν, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν.
19. Ὅταν ἢ παρὰ δίδωσιν ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε, πῶς ἡλιθιωσάτη. ὁδοῦσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ ἡ ὥρα, τί λαλήσητε.
20. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστέ οἱ λαλῶντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τῶ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλῶν ἐν ὑμῖν.

15. Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum. Estote igitur prudentes veluti serpentes, & simplices sicut columbe.
17. Cavete autem ab illis hominibus. Tradent enim vos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cadent vos.
18. Quin & ad Principes ac Reges ducemini propter me, in testimonium ipsis ac gentibus.
19. At cum tradiderint vos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.
20. Non enim vos estis illi loquentes, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

21. Παρά

- 21. Παράσσει ἡ ἀδελφὸς ἀδελφόν, εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ πικρὸν, καὶ ἐπιμαρτυροῦται τέκνα ἵπτι γονεῖς, θανάτωσαν αὐτούς.
- 22. Καθέστω μετ' ἐμοῖ ὑπο πάντων Ἰσραὴλ ὀνομάμα.
- 23. Οἱ ἵσσομέναι εἰς τέλος, ἔτι σωθήσονται.
- 24. Ὅταν ἡ δὴ ἀποκρίσιν ὑμῶν ὡς τὴ πόλις ταύτη, φέρωτε εἰς τὴν ἄλλαν, ἀμὲν ὃ λέγω ὑμῖν, ἔτι μὴ τελεῖσθε τὰς πόλεις Ἰσραὴλ, εἰς αὐτὴν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.
- 25. Ὁ οὐκ ἐστὶ μαθητὴς ὑπερὶ τοῦ διδάσκαλου, ἔτι δὲ ἄλλο ὑπερὶ τοῦ κυρίου αὐτοῦ.
- 26. Ἀρκέτω τὸ μαθητὴν, ἡν ἄρνηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δὲ ἄλλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. Εἰ τὸ οἰκοδεσποτὴν βεελζεβὺλ ἐκαλεῖσται, πόσω μᾶλλον τὰς οἰκίας αὐτοῦ.
- 27. Μὴ ἂν φοβηθῆτε αὐτούς. Οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, καὶ κρυπτόν, ὃ ἔτι γνωσθήσεται.
- 28. Ὁ λέγων ὑμῖν ἐν τῇ σκοτίᾳ, εἰπάτω ἐν τῷ φωτί, καὶ ὁ εἰς τὸ ἄσπετον, κηρύξωτε ἵπτι τὸ δόγμα.
- 29. Καὶ μὴ φοβηθῆτε δόξα τὸν δόξατενοντάν ὁ σῶμα, τὴν ψυχὴν μὴ δύνασθαι δόξατενα. Φοβηθῆτε ἡ μᾶλλον ὁ δὴ δυνάσθαι τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα δόξατενα ὡς ἐν γένῃ.
- 30. Οὐκ ἔστι δύνασθαι ἀσπασθῆναι πωλητήν, καὶ ἐν ἑξῆς αὐτῶν ἡ πωλείται ἵπτι τὴν γῆν, ἀνεῖ δὲ πατὴρ ὑμῶν.
- 31. Ἰμῶν ἡ καὶ αἱ τριχῆς τὸ κεφαλῆς πάντων ἡ ἐδμημέται εἰσι.
- 32. Μὴ ἂν φοβηθῆτε, πολλῶν ἐσθίων ἀναφέρετε ὑμῖς.
- 33. Πᾶς ἂν ὅστις ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοῖ ἐμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω καὶ ἐγὼ ἐμπροσθεν τοῦ πατρὸς μου ἐν οὐρανοῖς.
- 34. Ὅστις ἂν ἀρνησθῆται με ἐμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσωμαι αὐτὸν καὶ ἐγὼ ἐμπροσθεν τοῦ πατρὸς μου ἐν οὐρανοῖς.
- 35. Μὴ νομῆσθε, ὅτι ἤλθον βαλεῖν εἰρήνην ἵπτι τὴν γῆν ὅσα ἤλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχασθαι.
- 36. ἤλθον ὃ δὴ διχάσαι ἀνθρώπων καὶ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ θυγατέρα αὐτοῦ καὶ μητέρα αὐτοῦ, καὶ συμεφυνητὸν πενθερὰς αὐτοῦ.
- 37. Καὶ ἐχθροὶ τὰ ἀνθρώπων, οἱ οἰκιστὰὶ αὐτοῦ.
- 38. Ὁ Φιλῶν πατὴρ ἡ μητέρα ὑπερ ἐμὲ, ὅστις ἐστὶ μὲ ἀξίος. Καὶ ὁ Φιλῶν ἡ θυγατέρα ὑπερ ἐμὲ, ὅστις ἐστὶ μὲ ἀξίος.
- 39. Καὶ ὁ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, ὅστις ἐστὶ μὲ ἀξίος.
- 40. Ὁ εὐραὴν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, δόξατενα αὐτοῦ, καὶ ὁ δόξατενας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐνεκεν ἐμοῦ, εὐρήσῃ αὐτοῦ.
- 41. Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δεχεται, καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δεχεται ὡς δόξατενα αὐτοῦ με.
- 42. Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς ἐν ὀνόματι τοῦ προσφύτου, μισθὸν προσφύτου λαμβάνει. Καὶ ὁ δεχόμενος ὑμᾶς ἐν ὀνόματι δικαίου, μισθὸν δικαίου λαμβάνει.
- 43. Καὶ ὁ εἰς ἐμὲ ποτίσῃ ἐνα τὸ μικρὸν τέταν πτηρὸν ψυχῆς, μόνον εἰς ὄνομα μαθητῆ, ἀμὲν, λέγω ὑμῖν, ἔτι μὴ δόξατενα ὡς ἐμὲ αὐτοῦ.

- 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium. Et insurgent filii adversus parentes, et more afficient eos.
- 22. Et eritis odio habiti ab omnibus, propter nomen meum. Verum qui sustinuerit usque ad finem, hic salvus fiet.
- 23. Cum autem persecuti vos fuerint in civitate hac, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non perambulaveritis omnes civitates Ismeticas, quin jam venerit filius hominis.
- 24. Non est discipulus supra praeceptorem, neque servus supra dominum suum.
- 25. Sufficit discipulo, ut sit sicut praeceptor ipsius, et servus sit sicut dominus ipsius: Si ipsum patrem familias vocaverunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius.
- 26. Ne igitur metuat is eos. Nihil enim est testium, quod non sit retegendum, et nihil occultum, quin futurum sit, ut sciatur.
- 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce. Et quod in aurem auditis, predicare in testis.
- 28. Et ne metuat is vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed metuite magis illum, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna.
- 29. Nonne duo passeruli minuto asse veneunt? et unus ex illis non cadet in terram sine patre vestro.
- 30. Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt.
- 31. Ne igitur metuat is. Vos pluris estis, quam multi passeruli.
- 32. Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego illum coram patre meo, qui est in caelis.
- 33. Porro quisquis negaverit me coram hominibus, negabo eum et ego coram patre meo, qui est in caelis.
- 34. Ne arburemini, quod venerim ad mittendum pacem in terram. Non veni, ut mitterem pacem sed gladium.
- 35. Nam veni, ut dissidere faciam hominem adversus Patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et sponsam adversus socrum suam.
- 36. Et inimici hominis erunt ii, qui sunt domestici ipsius.
- 37. Qui amaverit patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Et qui amaverit filium aut filiam supra me, non est me dignus.
- 38. Et qui non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus.
- 39. Qui invenerit animam suam, perditurus est eam. Et qui perdidit animam suam mea causa, inveniet eam.
- 40. Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum, qui misit me.
- 41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet. Et qui recipit justum in nomine justo, mercedem justo accipiet.
- 42. Et quicumque ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquae frigidae, tantum nomine discipuli, Amen dico vobis, non perditurus est mercedem suam.

HARMONIA HUIUS HISTORIAE.

Ἰδὲ ἐγὼ δόξατενα ὑμᾶς ὡς ἀποβάτω ἐν μέσῳ λύκων, γίνεσθε ἂν φρονιμοὶ ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ
 Harm. Tom. I.

Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum. Estote igitur prudentes veluti serpentes, et simplices
 Uuu 4

πειστερη, προσεχετε ἢ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. Παραδώ-
 σαι γὰρ ὑμᾶς εἰς σκώδρα, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐ-
 τῶν μαρτυρῶσιν ὑμᾶς. Καὶ ἡμεῖς ἡμεῖς ἢ βασιλεῖς
 ἀρχισατέρες ἐνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτυρεῖν αὐτοῖς καὶ τοῖς ἐθνε-
 σιν. Ὅταν ἢ παραδώσιν ὑμᾶς, μὴ μερμηνησθε, πῶς ἢ
 ἡλαλησθε, δοῦναι γὰρ ὑμῖν ἐνεκεν ἡρώα, τίλαλη-
 σθε. Οὐ γὰρ ὑμῖς ἐστε οἱ λαλῶντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἢ
 πατρός ὑμῶν, τὸ λαλῶν ἐν ὑμῖν. Παραδώσει ἢ ἀδελφός
 ἀδελφόν εἰς θάνατον, καὶ πατήρ τέκνον, καὶ ἐπιανασησυν-
 ταί τενα ἡμεῖς ἡμεῖς, καὶ θανάτωσιν αὐτοῖς. Καὶ ἐσοθε
 μισοῦντες ὑμῶν ἀπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομα μου. Ὁ ἢ ὑπομένει
 εἰς τέλος, καὶ σωθήσεται. Ὅταν ἢ διακωσιν ἡμᾶς ἐν
 τῇ πόλει ταύτῃ, φεγγεθε εἰς τὴν ἀλίαν. ἀμὲν γὰρ λέγω
 ὑμῖν, καὶ μὴ τελεσθε τὰς πόλεις ἢ Ἰσραὴλ, εἰς αὐτὴν ὁ
 γὰρ ἢ ἀνθρώπων. Οὐκ ἐστὶ μαθητὴς ὑπερὶν διδασκα-
 λων, καὶ ἢ ὑπερὶν διδασκαλῶν αὐτῶν. Ἀρκετὸν γὰρ μαθητὴν
 ἢνα γνήσιος εἶναι ὁ διδασκαλῶν αὐτῶν, καὶ ὁ δὲ ἢ ὡς ὁ κυ-
 ρῶν αὐτῶν. Εἰς ἡν οἰκοδομήσειν βασιλεὺς ἐκάλεισεν, πό-
 σω μάλλον τὰς οἰκίας αὐτῶν. Μὴ ἐν φοβηθῆτε αὐτοῖς.
 Οὐδὲν γὰρ ἢ κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ δοκαιοφθήσεται
 καὶ κρυπτόν, ὃ ἐγνώσθησεται. Ὁ λέγων ὑμῖν ἐν τῇ σκοτίᾳ,
 εἰπατε ἐν τῷ φωτί, καὶ ὁ εἰς ἴσους ἀκνετε, κηρύξατε διὰ τὸ
 ὄνομα μου. Καὶ μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτείνοντων τὸ
 σῶμα, τὴν ἢ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτείνειν. φοβηθῆτε
 ἢ μάλλον τὸν διδάσκον καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ἀπο-
 λῆσαι ἐν γεννίᾳ, ὅτι ἢ δύο σπέρματα ἀσάρκα πάλαιται. καὶ
 ἐν ἐξ αὐτῶν ἐπισείτα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀνευθὶ πατρός
 ὑμῶν. ἢ μὴ καὶ αἱ τριχες τῆ κεφαλῆς πάσαι ἠριθμημέ-
 ναί εἰσι. Μὴ ἐν φοβηθῆτε, πολλῶν σπέρτων ἀναφῆρετε
 ὑμῖς. Πᾶς ἐν ὅστις ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ ἐμπροσθεν τῶν ἀν-
 θρώπων, ὁμολογήσω καὶ ἐν αὐτῷ ἐμπροσθεν τῶν πα-
 τρός μου καὶ ἐν ἄρανοῖς. Ὅστις ἢ ἀνδρῆσται με ἐμπροσθεν
 τῶν ἀνθρώπων, ἀνδρῆσται αὐτὸν καὶ ἐν ἐμοὶ ἐμπροσθεν τῶν
 πατρός μου καὶ ἐν ἄρανοῖς. Μνημονεσθε, ὅτι ἢ ἡλθον βα-
 λῆν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν, ὅτι ἢ ἡλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ
 μάχαρται. ἢ ἡλθον γὰρ διχάσαι ἀνθρώπων καὶ τῶν πατρός
 αὐτῶν, καὶ θυγατέρα καὶ τῆ μητρός αὐτῶν, καὶ νύμφην καὶ τῆ
 πενθεράς αὐτῶν. Καὶ ἐχθροὶ τῶν ἀνθρώπων, οἱ δικαιοὶ
 αὐτῶν. Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπερὶν ἐμοῦ, ὅστις ἐστὶ μὴ
 ἀξίος. καὶ ὁ φιλῶν τὸν ἢ θυγατέρα ὑπερὶν ἐμοῦ, ὅστις ἐστὶ μὴ
 ἀξίος. καὶ ὁ φιλῶν τὸν ἢ υἱὸν ἢ ἀδελφόν αὐτῶν, καὶ ἀκούσθῃ
 ὁπισθῶ μου, ὅστις ἐστὶ μὴ ἀξίος. Ὁ ἐρῶν τὴν ψυχὴν αὐτῶν,
 ἀπολέσθῃ αὐτῶν, καὶ ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἐνεκεν
 ἐμοῦ, εὐρήσθῃ αὐτῶν. Ὁ δὲ χόρῳ ὑμῶν, ἐμὲ δεχεται. καὶ
 ἐμὲ δεχόμενος, δεχεται τὸν ἀποστείλατά με. Ὁ δεχόμενος
 παρὸς τὴν εἰς ὄνομα παρὸς φητε, μισθὸν παρὸς φητε
 λήσεται. καὶ ὁ δεχόμενος δικαίον εἰς ὄνομα δικαίαν,
 μισθὸν δικαίαν λήσεται. καὶ ὅς ἐστι ποτίσῃ ἕνα τῶν μι-
 κρῶν ἢ τῶν ποτήριον ψυχῶν μόνον εἰς ὄνομα μαθητῶν, ἀμὲν,
 λέγω ὑμῖν, καὶ μὴ ἀπολέσθῃ τὸν μισθὸν αὐτῶν.

sicut columbe. Cavete autem ab illis hominibus. Tra-
 dent enim vos in concilia, & in conciliabulis suis flagri-
 cadent vos. Quin & ad Principes ac Reges dicemus
 propter me, in testimonium ipsis ac gentibus. Et eritis odio
 tradiderint vos, ne sitis solliciti, ac quomodo aut quid lo-
 quamini. Non enim vos estis illi loquentes, sed spiritus
 patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater
 fratrem in mortem, & pater filium. Et insurgent filii
 adversus parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio
 habiti ab omnibus, propter nomen meum. Verum qui sus-
 tinuerit usque ad finem, hic salvus fiet. Cum autem per-
 secuti vos fuerint in civitate hac, fugite in aliam. Amen
 enim dico vobis, non perambulaveritis omnes civitates Is-
 raelitas, quin jam venerit filius hominis. Non est disci-
 pulus supra preceptorum, neque servus supra dominum suum.
 Sufficit discipulo, ut sit sicut preceptor ipsius, & ser-
 vus sit sicut dominus ipsius: Si ipsam patrem familiam
 vocaverunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius.
 Ne igitur metuat is eos. Nihil enim est tectum, quod
 non sit retegendum, & nihil occultum, quin futurum sit,
 ut sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce.
 Et quod in aurem auditis, predicare in testis. Et ne
 metuat is vobis ab his, qui occidunt corpus, animam au-
 tem non possunt occidere. Sed metuite magis illum, qui
 potest & animam & corpus perdere in gehemam. Nonne
 duo passeruli minoris assis veniunt? & unus ex
 illis non cadet in terram sine patre vestro, vestri vero
 etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur timeatis.
 Vos plaris estis, quam multi passeruli. Omnis igitur
 qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego
 illum coram patre meo, qui est in caelis. Porro quisque
 negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram
 patre meo, qui est in caelis. Ne arbitremini, quod
 venerim ad mittendam pacem in terram. Non veni,
 ut mitterem pacem, sed gladium. Nam veni, ut dissi-
 dere faciam hominem adversus Patrem suum, & filium
 adversus matrem suam, & sponsam adversus socrum suam.
 Et inimici hominis erunt illi, qui sunt domestici ipsius.
 Qui amaverit patrem aut matrem supra me, non est me dignus.
 Et qui amaverit filium aut filiam supra me, non est me
 dignus. Et qui non accipit crucem suam, ac sequitur me,
 non est me dignus. Qui invenerit animam suam, perditurus est eam.
 Et qui perdidit animam suam mea causa, inveniet eam. Qui
 recipit vos, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum,
 qui misit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prop-
 hetae, mercedem Prophetae accipiet. Et qui recipit ju-
 stum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et qui-
 cunque, ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquae
 frigidae, tantum nomine discipuli, amen, dico vobis, non
 perditurus est mercedem suam.

Periocha hujus Historiae.

Quae sequuntur ad finem usque capitis, de per-
 secutionibus & adversitatibus, quas sustine-
 re debeant Apostoli, non pertinent ad primam
 hanc ipsorum legationem, sed ad munus ipso-
 rum, quod post ascensionem Dominicam in uni-
 verso orbe administraturi erant. Etenim primae
 missionis successus futurus erat placidus, siqui-
 dem filii sponsi non possunt lugere, quamdiu cum
 ipsis est sponsus. Matth. 9. v. 15. Et ipsi in postrema
 coena fatentur, neque in hac, neque in aliis legatio-

nibus quicquam sibi defuisse. Luc. 22. v. 35. Septua-
 ginta quoque Luc. 10. v. 17. cum gaudio ex sua lega-
 tione revertuntur. Ne ergo existimarent, cur-
 sum ministerii sui perpetuo talem futurum, vel
 ipse Christus hic addidit concionem, continen-
 tem predictionem de persecutionibus, quae
 ipsis obventurae essent, in universalis illa missione
 post resurrectionem instituenta: vel certe Evan-
 gelista Matth. (ut supra indicatum) occasione
 hujus legationis & instructionis, in unum corpus
 col.

collegit ea, quæ Christus sparsim, diversis temporibus & locis, Apostolis de futura aspera sua sorte præsignificat. Idem fere etiam aliis verbi ministris accidere solet, ut prima principia ministerii ipsorum se satis bene habeant, quæ postea acerbiores insultus & luctus excipiunt, donec tandem multis laboribus, injuriis, & molestiis fracti, cursum suum consumunt. Sic nimirum tyrones sensim ad duriora sufferenda sunt assuefaciendi.

Lucem autem universæ tractationi afferre posse videtur, si ea in certa membra distribuatur, & ὁμογενῆς quidem una vice exponantur: ἐτερογενῆς verò singula suum in locum afferentur. Membra sunt quatuor, 1. Pericula & persecutionum gravitatem Christus Apostolis ob oculos ponit. 2. Novis Præceptis eos instruit, ut sciant, qualiter sese in illis persecutionibus gerere debeant, ne Deum, neve suam conscientiam offendant. 3. Consolationes insuper addit suavissimas & efficacissimas, quibus se in illis persecutionibus erigere, & sustentare debeant. 4. Plenius ipsos de ratione & conditionibus regni sui instituit. Singula ordine videbimus.

I. De periculis dicit: 1. *Ecce ego mitto vos, ut oves in medio luporum.* Utitur particula demonstrandi *Ecce*, qua & attentionem excitat, & rem notatu dignam se indicaturum innuit. *Ecce mitto vos sicut oves.* Christus Apostolis & verbi præconibus ovium naturam tribuit, quæ in tribus potissimum consistit: quod ovium ingenium non est versutum vel callidum, sed simplex adeo, ut ad stupiditatem propemodum declinet: quod oves hominibus in omnibus, lana, lacte, carne, fimo, usui & commodo sunt, sibi solis minime omnium prospicere norunt: quod denique ovis animal est inerme, placidum, mansuetum, & omnium injuriæ expostum, nisi à pastore suo defendatur. Sic verbi ministri non vafro aut subdolo, sed simplici animo præditi, non suis commodis prospicere, sed proximi saluti consulere, nulli denique injuriam inferre, aut referre, sed se totos Christo Domino & ἀγαθῶν ἰουμαῶν suo committere debent, vindictam ipsi relinquentes. Hæc oves se mittere dicit, non ad lupos. Neque enim hæc in melius converti patiuntur, & ad oves perditas se ipsos mittere in superioribus dixit: *sed inter lupos*, seu ἐν μέσῳ, in medio luporum. Per lupos autem intelligit hostes veritatis, quales quidem tum temporis fuerunt Sacerdotes, Scribæ, Pharisei & Seniores, qui primum in populo Judaico tenebant. Assimilantur autem hostes veritatis *lupis*, partim propter rapacitatem, quam sub prætextu religionis exercent, qua etiam viduarum & orphanorum domus devorare solent: Matth. 23. v. 14. partim propter indomitam & insatiabilem rabiem, ut qui nullis rationibus vel beneficiis cicurari possint, ut se piis Christi sectatoribus æquiores præbeant. Nec mirumur, Christum hic suos & veritatis hostes lupos nominare. Sicut etiam idem Ps. 80. v. 14. apri sylvestres, Prov. 28. v. 15. leones rugientes, & ursi esurientes, Math. 3. v. 7. progeniens viperarum vocantur, & Luc. 13. v. 32. Herodes vulpes dicitur. Posteaquam enim homo per lapsum semel defecit à Deo ad Satanam, ea ipsius est depravatio, ut nulla bestia tam nocens, tam crudelis, tam indomita sit, quam homo, qui in irâ rabiem exarsit, & odii sui

libidinem explere in animum suum induxit. Ut ergo veteres hominem homini lupum dixerunt: ita homo homini, hoc est, pio Christi servo rabiosus Jesuita vel Calvinianus veritatis hostis, leo, ursus tigris, serpens, vulpes, draco, & sibi ipsi porcus, canis, pestis & interitus dici potest. Sicut etiam David conqueritur: Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum, gladius acutus, Psal. 57. v. 5. Sed Deus conterit dentes eorum, in ore ipsorum: molas leonum confringit Dominus, Psal. 58. v. 7.

Indicat etiam, quid lupi isti sint facturi, & tria enumerat 1. *Tradent vos eis συνέδρια in concilia vel confessus.* Synedrii nomine (ut supra etiam capit. 5. 1. peric. 3. explicatum est,) intelligitur supremus Judæorum Senatus, quem ipsi Sanhedrin dixerunt ex Sacerdotibus, legisperitis, & senioribus ad septuaginta usque viros collectus, in quo de rebus gravioribus ad Ecclesiam & Rempub. pertinentibus consultabatur, in quo etiam pœnæ graviores & atrociores fontibus, pro diversitate & qualitate delictorum, decernebantur. In tali synedrio & confesso ipse Servator noster condemnatus est, Matth. 26. v. 59. Dicit ergo Christus, hostes veritatis talem actionem adversus Apostolos instituturos, qua eos de hæresi simul & seditione, tanquam publicos Ecclesiæ & Reipublicæ perturbatores, accusaturi sint.

2. *Flagellabunt vos in Synagogis.* Synagogæ Judæorum fuerunt loca, in quibus ipsi publicos suos cætus docendi causa cogebant. In tali igitur congregatione virorum & mulierum, juvenum & virginum ipsorum denique puerorum, ipsos publica infamia notandos, & tanquam excommunicatione dignos, flagellis discutiendos fore testatur.

3. His non contenti, addit: *ducemini ad præsides provinciarum, & Reges*, ut mortis sententiam in Synedrio contra vos latam exsequantur, & de vobis, tanquam publicis humani generis pestibus, supplicium sumant. Hæc vero, ut modo dictum est, Apostolis in prima hac missione non acciderunt. Nam ex ea salvi & illæsi ad Christum redierunt. At post gloriosam ipsius in cælos ascensionem experti sunt, Magistrum nimis vere hæc prædixisse. Nam Act. 4. v. 5. primum in carcerem coniecti, mox in Senatum producti sunt, ut fidei & doctrinæ rationem redderent. Postea Act. 5. v. 40. flagellatis interdixerunt, ne porro in nomine Jesu prædicarent. Tandem ad Romanos Præsides & ipsorum milites proventum est, quibus Apostoli traditi sunt, ut ab illis interficerentur. Sed hos ipsos sibi æquiores, quam Judæorum Pontifices deprehenderunt, ut patet ex historia Pauli, Act. 22. 23. 24. 25. & 26. cap. Verum enim vero, quæ olim Christus Apostolis prædixit, eadem adhuc hodie sub regno Pontificio synceris & fidelibus Evangelii confessoribus eveniunt. Habent nimirum Pontifices, & ipsorum Episcopi, suos hæreticæ pravitatis Inquilitores, qui ob astutiam suam dolosam & crudelitatem insatiabilem vere vulpes & lupi dici possunt. Hi si cognorint aliquem à Cæcolyca ipsorum religionis & superstitionibus prophanis recessisse, atque Evangelio nomen suum dedisse, protinus ipsum ad suum Synedrium & consistorium pro imperio citant, eum hæreses simul &

per-

perduellionis reum agunt: ibique non tantum Actores, sed & Testes, adeoque Judices existunt. Quo in loco, quando suis iniquis præjudiciis Christi cultores damnarunt, mox eos infamia notant, & quibus cum mitissime agunt, eos excommunicant, carceri includunt, tanquam seditiosos relegant, bonis spoliant, & flagris cædunt. Tandem etiam illos, quos pro contumacibus & incurabilibus hæreticis habent, politico magistratu, cujus potestate, pro sua libidine, ceu carnificibus abutuntur, tradunt, atque sic ferro flammaque è medio tollunt. Hujus rei exemplum non tantum olim præbuit Constantiense Concilium, quod Johannem Hussum constantem Christi Martyrem ustulavit: Sed etiam hodie Styria, Carinthia, Carniola, & quorundam Episcoporum & bicornium Abbatum regiones (de Austria enim & Hungaria dicere non libet) innumera propemodum exempla suppeditant.

Ad exaggeranda hæc pericula facit, hujusmodi injurias & inimicitias ferendas esse non tantum ab exteris, quorum odia nonnunquam non magnificimus: sed sustinendas etiam ab iis, quos natura, ob cognationis vinculum, nobis conjunctissimos esse volebat. Quales sunt fratres, sores, parentes liberi. Et revera experientia testis est, solam religionem esse, quæ diversarum etiam nationum animos in fidei unitate tam arcte religat & vincit, ut vix morte ipsa à se invicem dissolui possint. Vicissim autem diversa religio & fides facit, ut etiam propinquissimi consanguinei nullam neque pietatis, neque naturalis caritatis rationem habeant, quo minus acerbissimo odio se invicem persequantur. Exemplo est ipse Christus, cujus cognati & fratres non credebant in ipsum, Johan. 7. v. 5. & Judæi tanto odio in ipsum exarserunt ut Barrabam latronem ipsi anteposuerint, Matth. 26. v. 20. Ante Christum autem ob religionem Abelum occidit Cainus frater: Isaacum Ismael, & Jacobum Esavus persecuti sunt: Josephum quoque fratres vendiderunt. Quomodo etiam Alphonsus Diazus Hispanus fratrem Johannem ob Evangelii confessionem trucidavit, prolixè legitur apud Sleidanum lib. 17. Quid multis? Tribus verbis enuntiat Christus: *Exosi eritis omnibus.* Ubi universalis particula indefinite accipi debet pro *omnibus*, qui mundo addicti, Christum non receperunt, nec per ejus Spiritus gratiam renati sunt. Omnes igitur, sive Judæi, sive gentes, sive nobiles, sive plebeji, sive sapientes, sive idiotæ, sive consanguinei, sive exteri, sive senes, sive juvenes, qui non sunt ad Christum conversi, ejus servos & cultores odio persequuntur. Quam vero ob causam? Num Christi sectatores sunt homines adeo scelerati & perversi, ut omnium odio digni habeantur? Minime vero. Sed Christus ipse in præsentia causam diserte exprimit, dum iterata vice dicit, *propter me, & propter nomen meum*, hoc est, quia mei discipuli estis, meumque Evangelium vel prædicatis, vel profitemini. Prima hujus odii origo ex paradiso profluit, ubi ipse Dei filius dixit, Genes. 3. v. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter seminem tuum & semen illius: ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Ab eo tempore Diabolus filium Dei in omnibus suis membris, etiam in Veteri Testamento, maxime autem post

evulgationem Evangelii, persecutus est. Male mirum ipsum habuit, Christi, seminis mulieris, prædicatione fictitiorum Deorum cultum aboleri, oraculis silentium imponi, supersticiosos ritus in religione corrigi, severiorem morum disciplinam urgeri, universum denique ipsius regnum vastari. Et Augustinus annotavit, gentiles propterea maxime contra Christianos tumultuosos esse, quia ex Evangelio audierint, Jesum Christum solum ut verum Deum coli velle. Ipsi vero absurdum visum est, propter hunc reliquos Deos omnes, quorum cultus multorum seculorum auctoritate, & multis gloriosis victoriis confirmatus esset, abjicere. Hinc clamabant, non tantum religionem, sed & Rempubl. ipsam turbari: Deos nimium offendi, qui sui contemptum ex Evangelii prædicatione ortum, peste, fame, bellis & aliis plagis ulciscantur. Hæc unica & sola causa est Vatiniani illius odii, quo Evangelii hostes etiamnum hodie ejus præcones & confessores persequuntur. Quæ enim causa est, ob quam Jesuitæ & eorum patroni hodie ex Styria & conjunctis provinciis Evangelicos magno numero expellunt. Negent ut ut velint, se hoc non facere *propter Christum*, utpote cujus nomen ipsi quoque, (sed sicut impij Pfal. 66. v. 10. fœdus Dei:) in ore suo gestent: tamen res ipsa loquitur, hoc propter solum Christum fieri. Cum enim Evangelici profiteantur, solum Christum, non autem Pontificem Romanum, Ecclesiam caput esse: solum ipsius sacrificium in ara crucis immolatum, non autem sacrificium missæ satisfactionem pro nostris peccatis esse: solum Christum, non autem sanctos cœlestes, esse Mediatorem & intercessorem inter Deum & homines: solum Christi merito fide apprehenso, non autem indulgentiis Papalibus, aut hominum meritis & operibus, nos coram Deo justificari: solo Christi sanguine, non autem fatuo & conficto inde Purgatorio, nos ab omnibus peccatis mundari, & sine labe ac macula cœlesti patri sisti, siquidem non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine Jesu, Actor. 4. v. 12. mox pro hæreticis proclamantur, & solum vertere jubentur. Eant autem Jesuitæ & negent, se nos nostrosque persequi non nisi *propter nomen Christi*. Nulla superstitio tam absurda, nullum scelus tam atrox, nulla malitia tam effrenis, quæ non excusationem apud ipsos inveniat: sola professio fidei in Christum justificantem & salvantem flagitium est adeo enorme, ut nullam veniam mereatur. Aleatoribus, scortatoribus, perjuris, cynædis, *aprovevolutis*, plagiaris, Judæis & Tartaris apud ipsos locus est: soli Evangelici nullam apud ipsos mansionem habere possunt.

Sed hoc Deus fieri patitur, ut hic Christus inquit: *in testimonium ipsis & gentibus*, seu ut habetur Luc. 21. v. 13. *in testimonium vobis.* Quæ *καταδειξή* & permutatio, quod persecutiones cedant in testimonium tam impiis, quam piis, non est otiosa. Duobus enim hoc fit modis. 1. Cedunt in testimonium *Judæis & gentibus*, ut sint inexcusabiles, quia per illas manifestum fit, ipsos suo vitio perire, ut qui tot beneficiis, tot miraculis tam obvia doctrina, & tanta lenitate præconum provocati, oblatam salutem tam odiose à se rejecerint. Et si sanguis Abelis ad Deum clamat, testimonium ferens de

de improbitate Caini, quam putabimus vim furam suspensorum, precum & lamentationum, quas carceribus inclusi, inter dira tormenta, ad Deum per nubes innocentes martyres Christi transferunt? Certe tu Deus Opt. Maxim. qui numeras fugas tuorum, & lacrymas eorum ponis in utrumque tuorum, (Nonne hæc sunt in numero tibi? Psal. 56. v. 10.) numerabis etiam fugas tuorum Evangelicorum exsulum, & colliges guttas sanguinis, quas propter nomen tuum effundunt, in testimonium in Jesuitis, quod prædicatum Verbum salutis rejecerint, & proinde æternis inferorum suppliciis multari probe meruerint. Cedunt etiam in testimonium Apostolis, & omnibus Verbi præconibus, quod Domino suo JESU Christo, cujus legatione functi sunt, fideles fuerint. Quemadmodum enim vulnera, & ex his contractæ cicatrices testantur de constantia, fortitudine & fide militum, quam Imperatori suo servarunt: ita concilia, carceres, flagella, tribunalia præsidum, tormenta & effusus sanguis, quibus pii propter Christum excruciantur & trucidantur, fidei quoque ipsorum & constantiæ testimonium ferunt. Hinc factum est, ut illi, qui talia propter Christum sustinuerunt, antiquitus κατ' ἐξοχήν μαρτυροί, id est, testes dicti fuerint. Atque hæc de periculis, de quibus Christos suos præmonet. Prædicat enim Deus suis ministris mundi malitiam & obstinaciam, ne ea offendantur, & vult, ut nihilominus mundo veritatem annuncient, in testimonium contra ipsos. Moyse & Aarone Pharaonis indurationem prædixit: & tamen eum adire iussit, Exod. 7. v. 3. Iesaiæ prædicitur, quod populus videntibus oculis non sit visurus, & audientibus auribus non sit auditurus, & tamen illi populo prædicare jubetur, Jer. 6. v. 9. Jeremiæ de suis auditoribus dicitur: bellabunt adversum te: Jer. 1. v. 19. & tamen officium facere jubetur, quia non prævalebunt. Sic nobis, novissimi seculi præconibus, Spiritus Sanctus manifeste dicit, periculosissima futura tempora, in quibus homines attendent spiritibus erroris & doctrinæ dæmoniorum, erunt superbi, elati, blasphemii, habebunt aures prurientes, sibi, que ipsi coacervabunt magistros ad sua desideria, 1 Tim. 4. v. 1. 2 Tim. 3. v. 1. 2 Tim. 4. v. 3. non tamen propterea in officio faciendo segnes deprehendatur, quin potius vel invitis & reluctantis præconium salutis offeramus in testimonium contra illos. Et licet lupis nostris semper aquam turbemus, eodem modo ut ovis Æsopica, tamen vocationi non desimus, quia cum Apostolis in medium luporum abire iussi sumus.

II. Audiamus etiam præcepta sive consilia, quæ Dominus & Apostolis suis, & simul nobis quoque suggerit, ut ea in istis adversitatibus observemus. I. Primum præceptum est. *Estote prudentes, ut serpentes, & simplices, ut columbæ.* Quia Apostoli mittendi erant inter lupos, prudentiam requirit, non vulpinam, quæ verisipellis est & subdola, nec columbinam simplicitatem admittit: sed serpentinam. Huic prudentiæ conjungit simplicitatem, non asininam, quæ stupiditatem affert: sed columbinam. Vult igitur prudentiam convenienti simplicitate temperatam esse. Seu, uno verbo, requirit prudentem simplicitatem. De serpentina prudentia etiam Patres multum disputant, &

varie. Alii enim ad serpentem naturalem, alii ad mysticum eam accommodant. Nos simplicitati studentes, & scientes in ejusmodi similibus non omnia & singula apte accommodari posse, omissis non necessariis, tantum ea adducemus, quæ principaliora esse videntur. Primum omnes physici serpentum astutiam in eo consistere testantur, ut in periculo caput, in quo vita est, tueantur, ac proinde illud vel foveæ immergunt, vel corpori involvunt, ac potius totum corpus ictibus persecutorum obijciunt, quam caput lædi sinant. Capite enim salvo reliquæ partes rursus coeunt, & plagas suas sanant. Sic verbi ministri omnem suam curam in tuendo capite repositam habere debent. Caput nostrum Christus est, ex quo totum corpus apte compactum & connexum incrementum capit, pro mensura uniuscujusque membri, in ædificationem sui, Ephes. 4. v. 16. Huic per fidem semel insiti, ab ipso divelli caveamus, quin potius indivulso vinculo ipsi adhaerentes, non sit grave propter ipsum omnes fortunas amittere, imo corpus quoque & sanguinem cum vita profunderem, dummodo in Christo JESU inveniamur, habentes non justitiam nostram, quæ ex lege, sed illam, quæ ex fide est Christi. Philip. 3. v. 9. Hac fide si constanter ipsi adhaerimus, ipse caput nostrum, omnes plagas, etiam mortis, sanabit, & efficiet, ut omnes unum simus, sicut ipse in Patre, & Pater in ipso, ut sic etiam nos in ipsis unum simus, Joan. 17. v. 21. Deinde serpens venenum totius corporis colligit in gutture, ibique naturæ ductu prudenter servare studet, ut, cum necesse est, in promptu habeat, unde se defendere possit, nec se vi aut palam de hostibus suis ulciscitur, sed clanculum, oportunitate accepta. Sic Evangelii præco, veritatis doctrinam semper in promptu habere debet, ut eam, tanquam salutare quoddam venenum, (quod cor hominis occupans, efficit, ut is & sibi & mundo salutariter moriatur) diffundat in eos, qui prius veritatis hostes erant: faciat autem hoc non violentia aliqua, aut clamoribus ipsos superando, sed cum oportunitate fuerit, arte eos convincendo. Ad hæc serpentes in vitandis incantatorum præstigiis diligentissimos esse, David Psal. 58. v. 5. testatur: ideo aures suas validissimè obturant, ne svavitate carminum ex cavernis suis educantur. Ita fideles verbi præcones aures suas ad vanas sapientum hujus mundi fabulas, ad omnes hæreticorum persuasiones, ad cuncta mundi promissa, ad omnia assentatorum præconia, obstruant: ne ullis suasionibus, sive mellitis promissionibus eas condiant, sive minis ipsos terrere studeant, se avelli patiantur à semel agnita fide & doctrina veritatis, in qua, velut in latibulo quodam tuto, delitescunt. Denique serpens, veterem pellem depositurus, per angustias rimarum, in cavernis, vel in arboribus se coarctat, & sic à capite ad caudam usque cutem detrahens, senectam deponit, seque ipsum quasi innovat, ut habet Aristot. lib. 8. cap. 17. de natura animalium. Sic etiam non tantum verbi præcones, sed & in genere omnes Christiani, veterem Adamum deponere, novum hominem induere, sicque Spiritu mentis suæ renovari debent, ut ingrediantur per angustam portam regni cælorum. Hanc accommodationem ponit Augustin. in lib. quæst. ex Matthæo.

Ser-

Serpentinæ prudentiæ Christus adjungit columbinam live simplicitatem live integritatem & innocentiam. Nam in Græco est vox ἀκέραιος, cum derivant δὸρ & κέρας à cornu, quod scilicet Christus nolit suos esse cornupetas, qui cornu feriant, hoc est, qui vindictam live vi live dolo meditentur. Unde non immerito tales columbis conferuntur. Etenim inter omnia animantia nullum columba candidius, nullum simplicius, quod nulli insidiatur, nulli dolos struit, caret omni felle amaritudinis, nemini se opponit, & ne eos quidem, qui injuriam inferunt, & pullos furripiunt, insequitur. Omnes suas vires in pernecitate alarum positas habet, qua miluorum & reliquarum rapacium avium virulentiam effugit. Si quid gravius & cum dolore junctam accidat, nec rostrum acuit, nec ungues ad lacerandum promit, sed tristi murmure & gemitu dolorem suum contestatur, & patienter fert, quod mutare nequit. Tales Evangelici Doctores quoque esse debent: integritati & innocentia studeant, nihil malo dolo agant, à vindicta cupiditate absteineant. Ipsis denique juxta versiculos probatos,

*Hic scopus unus erit: cunctis prodesse, nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.*

Si milvi & accipitres tyrannorum vitæ ipsorum & famæ insidientur, acceptis alis precum confugiant ad Deum suum, ut is ipsos salvet ex omnibus persequentibus & liberet, Pl. 7. v. 1. Si tristis quid ipsis accidat, non questibus & ejulatus totum orbem compleant & omnia turbent, sed tacitis gemitibus Deo res suas committant, & injuriam apud ipsum deponant, is vindex erit & ultor. Impiis autem sibi caveant, ne fiant vultures voraces, aut accipitres rapaces, aut etiam superbi pavones, vel turpes corvi crocitantantes, sed ingenuam columbarum mansuetudinem, se vel maxime decere & ornare statuunt. Quia vero hæc non sunt humanarum virium, verum ut divinitus dentur opus est, ideo diligenter Deum invocent, ut is Spiritus sui, qui Matth. 3. vers. 16. in specie columbæ super Christum descendit, gratia ipsos instruere dignetur, quo memores, cujus Spiritus filii sint, Luc. 9. v. 55. columbinam suam mansuetudinem & modestiam notam faciant omnibus hominibus Phil. 4. v. 5. Hoc est primum præceptum, quod Christus à suis ministris prudentem simplicitatem requirit. Prudentiam quidem, quia eos mittit inter lupos: Simplicitatem vero, quia eos mittit tanquam oves. D. Paulus hoc præceptum Rom. 16. v. 19. omnibus Christianis his verbis accommodat: Θέλω ὑμᾶς ὡφείας μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀκέραιους ἢ εἰς τὸ κακόν. Quam applicationem concionatores in suis hominibus ad plebem imitari possunt.

Secundum præceptum. Cavete autem ab hominibus. Hoc præcepto explicat Christus, quales lupos intelligat, in quorum medium suos Apostolos ableget: nimirum non sylvestres, sed urbanos, qui sub specie humana lupinam vitiositatem naturæ suæ tegant, nec se verbo Dei cicurari aut corrigi patiantur, sed adversus verbi ministros hostiliter insurgant. Ne autem quis putet, Christum hic docere μεταστροφίαν, quæ non tantum cum caritate Christiana, sed etiam cum natura ipsa pu-

gnat, sciendum hic, per homines intelligi filios hujus sæculi, qui nondum ex semine verbi renati sunt, & proinde habent oculos hominis (ut Dan. 7. v. 20. de parvulo cornu blasphemias loquente dicitur) hoc est, sunt astuti & subdoli, qui, quem ex legis denunciatione & peccatorum redargutione dolorem conceperunt, tamdiu alto corde premere norunt, donec nocendi occasiones venient. Hos cavere jubet Christus. Utitur verbo ἀσέβητος, quod significat attentum, cautum, providum & circumspexit esse, ne periculo vel damno non necessario quis se objiciat. Equidem verbi ministri hujusmodi lupos, sive homines depravatos non penitus vitare possunt. Etenim à Christo ablegantur, non in eum finem, ut instar Eremitarum solitariam vitam degant, sed ut in medio luporum, versentur. Concedit quoque ipsis verbum salutis, quod est illud medium, per quod Deus vitiosam & corruptam hominum naturam corrigere, lupinum cor auferre, & per salutarem misericordiam novum & mundum cor creare vult, Psal. 51. v. 12. Et sane huic medio aliqui sese accommodant, illud simplici fide suscipiunt: his datur potestas filios Dei fieri, quia credunt in nomen Christi, & ex Deo renascuntur, Joh. 1. v. 12. Alii vero audito verbo magis indurantur, sicut Act. 7. v. 54. Judæi, qui audientes verba Stephani, dissecabantur cordibus suis, & dentibus stridebant in ipsum. Cum vero verbi ministri ignorent, apud quos verbum fidei fructificare queat, quibus vero sit odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. v. 16. ideo caute semper agant, & cum modestia etiam corripiant eos, qui resistunt veritati, si quando de illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiciant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 25. Proinde interim caventes, ne nimium ipsis fidant & ab ipsis circumveniantur. Christus ipse Joan. 2. v. 24. non se credidit Judæis, eo quod ipsos nosset, nec firma fide Evangelium suum amplexos sciret. Et hæc cautela, quoque pars est serpentiniæ prudentiæ, de qua in præcedenti præcepto monuit. Noverunt serpentes, naturæ instinctu à Deo factam esse perpetuam similitudinem inter ipsos & homines, propter quam homini horrore sunt, ideoque hominum consortia studiose devitant. Eodem modo, cum sciant sancti Dei servi, inimicitias positas esse inter semen mulieris & Diabolum, qui semper illius calcaneo insidietur, ideo cum ipso omnia ejus mancipia caveant & fugiant, ne ex imprudentia ab ipsis circumveniantur.

Tertium præceptum tolerantiam simul & perseverantiam requirit: Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit. In Græco est verbum ὑπομένω, quod sustinere, sufferre, perferre & tolerare, significat. Septuaginta ubi sunt eo, ut responderet interdum verbo ὑπομένω quod significat expectare, in hiando ad rem aliquam, item vehementer aliquid & summo nisu appetere: interdum verbo ὑπομένω, quod significat anxiam spe potendi voto rem aliquam expectare, præstolari cum animi dolore, & ægre ferre protractionem rei expectatæ, & Mal. 3. v. 2. habetur, ubi Propheta dicit, quis potest sustinere diem adventus ejus? Duo ergo Servator hic præcipit. Primum est tolerantia in adversitatibus, licet earum finem anxiam spe expectemus. Omnes

Omnes

Omnes enim, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12. Et sic constitutum est, ut per multas tribulationes in nos oporteat ingredi in regnum Dei, Act. 14. v. 21. Alterum est perseverantia usque ad finem. Neque enim incoantibus, sed perferentibus, præmium tribuitur: nec cœpisse, sed perfecisse virtutis est, ut inquit D. Hieronymus, sicuti Paulus idem docet exemplis currentium, 1. Cor. 9. v. 24. & certantium, 2. Tim. 2. v. 5. Quid enim mihi profunt, inquit Eusebius Emisenus, lata viridantia, si hodie spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore, subita vel aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant? Quid mihi proderit, si vinea spem omnem in flore promittat, & vel ferarum incurfus, vel vastitas grandinis spem omnem in consummatione subducatur? Hom. 5. ad mon. Rectè ergo D. Greg. lib. 1. moral. in cassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit. Neque enim in Christianis initia quæruntur, sed finis, ut scribit D. Hieron. ad Furiam. Paulus malè cœpit, sed benè finivit. Judæ laudantur exordia, sed finis proditiōe damnatur. Memores simus uxoris Loth, quæ Sodomorum terram egressa, nimio flammarum crepitantium metu territa, corporis & mentis oculos retrorsum flexit, & interitum, quem divino beneficio effugere cœperat, incurrit. Gen. 19. v. 26. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Luc. 9. v. 62. Conferuntur tales homines cancris, qui Lev. 11. v. 12. inter immundos pisces referuntur, & quia modo ante, modo retrò gradiuntur, facilè capi possunt: sic anima, non constanter in cursu pietatis progrediens, facilè à Diabolo capitur.

Quantum Præceptum. Quia multum interest inter perseverantiam & confidentiam vel temeritatem, ideo ne Apostoli & Evangelii præcones temere se periculis non necessariis objicerent, in quibus cum detrimento Ecclesiæ perirent, addit Christus etiam hoc præceptum, vel, ut aliqui appellant, hanc licentiam & permissionem. *Dum persequuntur vos ex una urbe, fugite in aliam.* De fuga omnitempore variè disputatum est. Tertullianus, qui proximè accessit ad tempora Apostolorum, & Scriptor fuit alias non contemnendus, peculiariter scripsit librum de fuga in persecutione, in quo contendit, non esse fugiendum, sed fortiter pro CHRISTO moriendum, omnem fugam turpe & servile præsidium vocans. Existimavit nimirum Tertullianus, hoc Præceptum temporale fuisse, quod ad Apostolos pertinuerit, tantum in prima legatione, in qua missi erant ad perditas oves Israël. Sed supra demonstravimus, hæc verba non ad primam legationem pertinere, licet Divus Chrysost. & Divus Hieron. in hoc cum Tertulliano concordent. Mirum autem, Tertullianum omnem fugam adeò præcise damnasse, cum ex sacris constet, quamplurimos Dei cultores, quorum fides & pietas ab ipso Spiritu sancto commendatur, tyrannorum impetum fuga declinasse. Moyses, qui fidelis fuit in omni domo Dei, profugit ex Ægypto, Exod. 2. v. 15. cum intelligeret, Pharaonem capiti suo insidiari. David, quo nemo fuit fortior, sæpè fugit insidias

Harm. Tom. I.

Saulis, & hæc suas fugas Deum numerasse minime dubitat, Psal. 56. v. 9. Elias fugit minas Jezabelis. 1. Reg. 19. v. 3. Oriente persecutione Hierosolymis, fideles fuga dispersi sunt per Judæam & vicina loca. Act. 8. v. 1. Paulus ut effugeret crudeles manus regis Areta, sporta ex muro demissus, fugit. Act. 9. v. 25. & 2. Cor. 12. v. 32. De Divo Athanasio Ecclesiastica historia testatur, ipsum aliquoties in longinquas regiones, & in Germaniam usque fugisse, ut melioribus se servaret temporibus. Quid? Quod Christus ipse non semel se subduxit & occultavit, declinans hostium insidias, quia hora sua non venisset, Luc. 4. v. 30. Joh. 4. v. 3. & 8. v. 59. Rectè ergo Divus Hieronym. in Catal. Ecclesiasticorum Tertulliani opera recensens, illum librum de fuga adversus Ecclesiam scriptum esse testatur. Veruntamen, quia Christus Joan. 10. v. 12. notam mercenarii facit, si quis videns lupum venientem fugiat; ideo Divus Augustinus in Epistola 180. quæ est ad Honoratum, & in aliis suis opusculis, distinctè de fuga nos loqui docet, & testatur, aliam quidem fugam esse licitam & laudabilem, aliam verò illicitam & culpandam. Etsi verò difficile sit, in his generale regulam tradere, quando fugere liceat, quando verò minus: in omni tamen fuga ad hæc quatuor, ad Ecclesiam, ad hostes, ad seipsum, ad finem denique, ob quem fugit, verbi minister respicere debet. Ad Ecclesiam ita, ut tum fugere liceat, si nulla spes sit, coetum Ecclesiæ congregatum, per præsentiam ministri, prædicatione verbi & Sacramentorum administratione conservari posse, nec affulgeat ulla occasio regnum Dei ulterius propagandi, aut plures Christo lucrificandi. Quis enim auctor esset Doctori Evangelico, ut vitam & sanguinem profunderet illic loci, ubi nulla utilitas ad Ecclesiam rediret? 2. Ad hostes ita: si hi sic sint exasperati, ut ex præsentia ministri nil nisi occasionem gravius peccandi, & acerbius in Ecclesiam sæviendi accipiant. 3. Ad seipsum, si nimirum solus Pastor petatur, cui hostes veritatis ob suas quasdam certas causas magis sunt infensi, atque sic hujus secessio Ecclesiæ pacem & tranquillitatem rursus conciliet. Et revera peccat verbi minister adversus regulas caritatis, si animadvertat suam personam potissimum peti, Ecclesiam autem pace frui posse, & adesse alios, qui ejus ædificationem, etiam se absente, promovere possint, ipse vero pertinaciter cedere nolit, modo ne exilii molestias sustinere cogatur. In primis autem finis fugæ est respiciendus, qui non esse debet, ut quis se in latebras abdat, & postea otio atque ignavia suæ consulat, sed ut Christus hic dicit, *fugiat in urbem aliam*; hoc est, non abiciat ministerium, sed aliis locis & temporibus talentum suum Domino suo in usum exponat. Ut enim bonus Imperator interdum hostibus cedit, ne patriæ salutem in discrimen adducat, quando se ad resistendum imparem animadvertit: idem tamen mox redit, & alio in loco majori animo hostem aggreditur, & patriæ suæ res magno commodo promovet. Ita inquit Christus, fideles suos ministros etiam in fuga de regno suo propagando cogitare, & de Ecclesiæ incolumitate promovenda sollicitos esse debere. Sic Athanasius improbitate suorum ho-

stium

stium ex statione sua eiectus, mox ad eandem, quamprimum licuit, rediit. Hæc qui in fuga attendit, non facile peccabit: Si quis verò animadvertat, se citra scandalum infirmorum ab Ecclesia sibi concredita discedere non posse; aut ex suo discessu veritatis præconium intercidere, quod conservari possit se præsentem; aut ipsum Dominum eum ad certamen cum hostibus sustinendum vocare, tum nequaquam fugiat, sed confirmato animo luctam ingrediatur, de præsidio & assistentia Spiritus sancti nihil diffidens. Sicuti ex Evangelio scimus, Christum, cum sciret horam à Patre desti- natam adesse, sponte morti obviam ivisse: Joan. 18. v. 4. & Paulum, ne lacrymis quidem fidelium se detineri passum fuisse, cum intelligeret vincula sua ad illustrationem regni Christi facere posse, Act. 21. v. 12.

Ne quis concessione illa & licentia fugam dæta abutatur, addit quintum Præceptum de aperta & ingenua nominis sui & fidei confessione, etiam in extremis persecutionibus præstanda. Extra periculum enim multi, vel ex consuetudine, vel privati commodi causa Christi nomen & religionem profitentur: in persecutionibus autem eandem vel apertè negant, vel subdole dissimulant, vel cum hostibus paciscuntur, atque sicut piter deficiunt. Ut ergò in adversis veri amici à falsis dignoscantur: ita in concussione Ecclesiarum & tribulationibus manifestum evadit, quoniam sint *μαθηται* Jesu Christi discipuli; & qui sint hypocritæ. Hoc verò Præceptum Christus ita proponit, ut illud nolit Apostolis & horum Successoribus privatim datum: Sed omnibus Christianis commune esse velit. Dicit enim *πᾶς ὁ πιστεύων ἐν ἡμῖν, ὁμολογήσεται, ὅτι Ἰησοῦς υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐστίν*, omnis ergò qui confitebitur. In Christo Jesu non est differentia inter herum & servum, inter marem & femina, inter divitem & pauperem, inter doctum & idiotam. Galat. cap. 3. v. 28. & Col. 3. v. 11. Idèò etiam Paulus Romanorum 10. v. 10. de omnibus credentibus dicit: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Errant itaque illi, qui fidei confessionem tantum verbi ministris necessario incumbere opinantur: reliquis autem eam ad se referri esse putant. Particula *ἢ*, ergò, hic non illationem, sed continuationem denotat. In vera autem CHRISTI confessione requiritur primum vera CHRISTI agnitio secundum scripturam, tam quoad personam, quam quoad officium & majestatem. Quoad personam, quod ea ex duabus & in duabus naturis, divina & humana, personaliter seu *ὑποστατικῶς* & quidem, juxta Chalcedonenis Synodi Canonem, *ἀχωριστῶς, ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀναλλοτῶς, ἀδιεσπάρτως καὶ ἀδιεσπάρτως* unitis consistet. Quoad officium, quod sit unicus Mediator inter Deum & homines, mundi Redemptor & Salvator, qui diræ suæ passionis & innocentis mortis merito, peccata hominum expiarit, iram Patris sedarit, mortis & Diaboli tyrannidem debellarit, infernum credentibus vastarit, & sublata maledictione æternam benedictionem reducerit. Quoad Majestatem, quod jam deposita servi forma ledeat in throno Majestatis divina ad dextram cœlestis Patris, ubi salvationis nostræ opus plenè peragat, pro nobis apud Pa-

trem intercedat, nos contra Diaboli tyrannidem regat & tueatur, atque una cum Patre & Spiritu sancto ipse *ὁ λόγος* in, cum, & per humanam naturam suam personali unione assumptam, omnia in universo mundo præsentem & potenter gubernet, & singula ad finem sibi gloriosum & credentibus salutarem dirigat, donec olim rediturus ad iudicium omnibus tam piis quam impiis juxta fidem & opera retribuatur. Deinde verò in confessione requiritur, ut hæc omnia; quæ quis ex verbo Dei de Christo addidit, & vera esse agnovit, etiam libero ore & disertis verbis, adversus omnes hæreses, sive illæ unicam Christi personam distrahant, sive alterutram naturam negent, sive earum proprietates confundant, sive alios Mediatore ipsi adjungant, sive Majestatem ipsius & omnipræsens dominium calumniantur, confiteantur coram hominibus. Per homines hic intelligit Christus eos, qui pios persequuntur, qui eos occisos cupiunt, & à quibus cavendum supra monuit. Sic enim Marc. 8. vers. 38. ipse interpretatur, quando inquit: *qui me confessus fuerit in generatione ista adulterum & peccatorem*. Itaque non tantum coram amicis, & in cœtu credentium, atque Christiano nomini faventium: sed etiam coram incredulis & diris Christi hostibus, qui ingenuos Christi Confessores nefariè trucidare, & miris tormentis excarnificare cupiunt, ingenuam fidei confessionem edere decet. Denique in fidei confessione etiam requiritur, ut id, quod verbis & ore profitemur, factis quoque & opere exprimamus: sicuti Jacobus dicit c. 2. v. 18. Ostende mihi fidem tuam operibus. Ergò ingenuam fidei confessionem etiam eo edamus, ut illos cœtus sacros, in quibus syncerum Dei verbum annunciatur, adeamus, reliquos declinemus: Sacramentorum usum apud illos participemus, quos nobis in confessione fidei *ὁμοψύχως* esse scimus, reliquos devitemus: preces nostras tam privatas quam publicas cum synceræ fidei sociis jungamus: vitam quoque totam sic instituamus, ut omnes ejus actiones Christum spirent, Christum loquantur, Christum exprimant, ut sic cœlestis pater per Christum in nobis glorificetur: denique sopus sit, omnem hanc fidei nostræ confessionem etiam sanguine nostro obsignemus, & mortem potius oppetere velimus, quam ut quicquam fidei nostræ contrarium committamus. Exempla hujusmodi confessionis vel confessorum si quis habere cupiat, is intueatur tres socios Danielis, Daniel. 3. vers. 12. Daniele ipsum, Daniel. 6. vers. 10. Macabæos, qui tempore Antiochi excruciatii sunt, & totum illum chorum piorum Martyrum, quos Ludovicus Rabus duobus voluminibus descripsit. His Confessoribus Christus amplissimum præmium constituit, dum inquit: *Eum & ego confitebor coram patre meo, qui est in caelis*. Attende autem, quod Christus his verbis non patres vices, sed longè excellentiores nobis pollicetur. Si enim nos Christum coram hominibus confiteamur, quantula hæc ipsius est gloria? Si verò ipse nos olim in glorioso suo adventu coram patre suo cœlesti, & omnibus sanctis angelis sit collaudaturus, quod fideles & constantes fuerimus in ipsius confessione, & quod nos ipsos pro nomi-

nis ipsius gloria periculo mortis exposuerimus, tum certe illud aeternae nostrae beatitudinis causa futura est. Non autem omnem hanc remunerationem in novissimum tantum diem usque rejicit, sed interim quoque suis confessoribus in his terris adest, eos luctantes & pugnantes spectat, periclitantes tuetur, labescentes erigit, animas morientium suscipit, & tandem ex mortuis resuscitatos in aeternum beabit.

Ceterum, ut Christus tantò vehementius omnes moveat, & in primis turpem metum ignavis excutiat, è contrario gravissimam comminationem, quam abnegatores expectare cogantur, adjicit: *Qui autem negaverit me coram hominibus, eundem ego negabo coram Patre meo, qui in caelis est.* Christum negant. 1. Qui eum non talem Servatorem agnoscere volunt, qualis in Evangelio, & Scripturis praedicatur. 2. Qui nolunt esse parati ad satisfactionem omni poscenti rationem, de illa, quae in ipsis est, spe. 1. Petr. 3. v. 15. Sicuti hodie multi summam sapientiam esse existimant, si ambiguus responsum omnes de fide quaestiones eludant, nec quisquam certo novisse queat, cui ipsi religioni sint addicti. 3. Qui splendidis verbis multum de religione garrunt, factis autem virtutem ejus abnegant. 2. Timoth. 3. vers. 5. 4. Qui à veritate semel agnita rursus deficiunt, humanarum traditionum figmenta amplectuntur, & post vanissimas superstitiones declinant. De his inquit Petrus, quod Dominum negent, qui ipsos mercatus est. 2. Petr. 2. vers. 1. & quod posteriora eorum deteriora fiant primis, vers. 20. Horum abnegatorum Christum hanc poenam futuram testatur, quod vicissim ipsos negaturus sit coram patre suo, qui in caelis est. At quos ille suos esse negaverit, illi in libro vitae non reperientur, iidem à consortio regni caelorum in aeternum excludentur. Consideret ergo quisque secum, quantum hoc damnum sit futurum. Etenim si quis coram hominibus Christum non laudet, sed neget, ipse Christus propterea nihilo minor erit. Sed quem Christus negaverit coram Patre suo, de eo actum erit in sempiternum. Ideò in Marco dicit, se negaturum in adventu suo, cum venerit in gloria Patris cum sanctis angelis. Nec mirum. Christum enim summum suum benefactorem, Creatorem & Redemptorem coram hominibus negare summum scelus est, cum extrema impietate conjunctum, quod non nisi ultricibus flammis infernalibus expiari potest.

III. Consideremus etiam consolationes, quibus Christus suos in istis persecutionibus & adversitatibus erigit. Et I. non improbo illorum sententiam, qui expendunt Emphasin, quae latet in Pronomine EGO. Dum dicit: *Ecce EGO mitto vos.* Cum enim durum sit & periculosum inter medios lupos mitti, vult illos consideratione personae mittentis seipsum consolari. Nam quis est ille EGO, qui mittit? Est unigenitus & aeternus DEI Filius, humana carne vestitus, Dominus non tantum spiritualis hujus Messis, sed etiam caeli & terrae, cui data est omnis potestas in caelo & in terra, Matth. 28. vers. 18. cujus pedibus omnia sunt subjecta: Psalm. 8. v. 8. qui constitutus est ad dextram Patris, supra omnem

Harm. Tom. I.

principatum & potestatem, & virtutem & dominationem: Ephes. 1. vers. 21. qui pugillo metitur aquas, caelos palmo ponderat, & molem terrae tribus digitis appendit Jesaia 40. v. 12. Coram quo omnes gentes, quasi stilla situlae, & quasi momentum statera reputatae sunt, omnes insulae quasi pulvis exiguus: imò omnes gentes quasi nihilum & inane reputatae sunt ei, ibidem vers. 17. Est denique ille dominus, qui omnipotens & omniscius, suam omnipraesentiam suis, omnibus diebus usque ad consummationem seculi, pollicitus est, Matth. 28. vers. 20. Vult ergò dicere: EGO, cujus caritatem erga vos, cujus potentiam in omnes haecenus experti estis, vos mitto; qui nunquam vos missurus essem, nisi hoc ita & vobis & aliis expediret, & nisi mea potentia efficere vellem, ut nihil mali etiam inter medios lupos sustineatis: imò divina mea potentia efficiam, ut multos adducere possitis, qui deposita lupina feritate una vobiscum in posterum oves fient. Quando mundani Principes legatos emittunt, hi non tantum se omnium gentium jure inviolabiles, atque ab omni injuria tutos & securos esse debere statuunt: sed etiam pro qualitate suorum Dominorum, à quibus ablegantur, sibi pollicentur, se multum favoris, gratiae & honoris à quibusvis, propter suos Principes, consecuturos. Sin à quoquam laedantur, futurum, ut ipsorum honos & existimatio dignè vindicetur. Quem admodum David injuriam suis legatis ab Ammonitis illatam, severissime ultus est, 2. Sam. 10. vers. 5. Cur non ergò summi Dei legati, se vel ab omni injuria tutos, vel si violentur, plus satis acriter ultos fore sperarent? Hic EGO Moysen & Aaronem in Aegypto, adversus tyrannum Pharaonem, in deserto, adversus rebelles Israelitas tutatus est. Idem Danielem in lacu leonum, socios ejus in fornace ardenti, Petrum ex carcere liberavit, Paulo quoque astitit, cum staret ad tribunal Neronis, eumque corroboravit atque eripuit ex ore leonis, 2. Tim. 4. v. 17.

2. Altera consolatio consistit in illis verbis: *Cum vos tradiderint, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini.* Solatur ipsos adversus metum infantiae. Erant Apostoli Christi homines illiterati, nec ullo rerum usu instructi. Metuebant ergò, ut, quando in conciliis aut coram Regibus sisterentur, haberent, quod pro se dicerent. Idem metus etiamnum hodiè multos exeruat & sollicitos reddit, metuentes, ne ipsorum imperitia causa Evangelicae apud astutos & versipelles hostes officiat. Certè hic metus Moysen permovit, Exod. 4. vers. 10. & Jeremiam cap. 1. vers. 6. ut detrectarent vocationem divinitus oblatam, & alium suo loco mitti peterent. Adversus hunc metum Christus suos solatur, rationem addens: *Dabitur enim vobis illa hora, quid loquamini.* Hora meminit, quia in persecutionibus singulis horis, singulis momentis, novum quid, de quo nunquam cogitarem, incidere potest. Nescit enim praesens (ut habet versiculus) quid ferat hora sequens. Quis ergò in novis istis emergentibus malis subitaneum consilium subministrabit? Respondet Christus: *Non vos estis qui loquamini, sed Spiritus Patris vestri is est, qui loquitur in vobis.* Vult dicere: Causa-

Xxx 2

Evan-

Evangelii non est vestra, sed cœlestis Patris: is justus, verax, potens, & gloriæ suæ vindex acerrimus, causam suam non negliget, sed per Spiritum suum, qui in Prophetis locutus est, etiam vestra corda, linguas & labia ita gubernabit, vobisque ejusmodi sapientiam & disserendi facultatem dabit, ut non possint vobis resistere & contradicere omnes adversarii vestri. Lucæ 21. vers. 15. Veritatem hujus promissionis, non tantum Actorum liber cum universa historia Martyrum testatur, verum etiam multi eorum, quibus serio cum hostibus Evangelii conflictandum fuit, experientia recte didicerunt, sibi in summis angustiis constitutis, talem ex tempore disserendi facultatem divinitus datam fuisse, ut si maximè satis amplum præmeditandi tempus concessum fuisset, nunquam tamen, etiam adhibita summa diligentia, pari felicitate idem consequi potuissent. Ideo tempore confessionis in necessitate constituti, serio ad CHRISTUM suspirent, dicentes: Causa tua est, causam, Christe, tuam; & salutarem effectum suarum precum sentient. Interim nequaquam hinc verbi ministri suæ ignavia vel torpori patrocinium quærant, quasi non opus sit diligenti lectioni & meditationi Scripturarum incumbere: siquidem futurum sit, ut in illa hora ipsis detur, quid sit loquendum. CHRISTUS enim non simpliciter omnem cogitationem & meditationem, quæ de veritate sive docenda sive defendenda suscipi potest (sicuti vulgata versio hic habet: *Nolite cogitare*;) sed tantum sollicitam illam anxiam & trepidantem curam, cum dissidentia aliqua divini auxilii conjunctam, & quæ ipsos ab officio revocare poterat, prohibet. Hæc enim est vis verbi, quo CHRISTUS in præsentia utitur (*μη προσευχόμενοι, nolite solliciti esse*;) sicuti id cap. 5. 1. peric. 7. hujus Harmoniæ explicatum est. Interim fixum manet illud Pauli: 1. Tim. 4. vers. 13. Attendite lectioni, & illud Davidis, pius dies noctesque in lege Dei meditatur. Psalm. 1. vers. 2. Christus ergo suis hac consolatione eximere voluit, non fidelem veritatis meditationem, sed dissidentem pusillanimitatis sollicitudinem.

3. Tertia consolatio habetur in his verbis: *Amen dico vobis, nequaquam obieritis urbes Israelis, quin jam venerit filius hominis.* Quæ verba, licet ab Interpretibus variè accipiantur, ob nimiam suam obscuritatem, plerique tamen & præcipui in eo conveniunt, quod dominus iis huic metui Apostolorum præoccurrat, quod cum Christus de fuga dixerit, & concesserit, ut si ex uno loco rejicerentur, in alium concederent, in hac vero prima missione tantum ablegati essent ad perditas oves Israelis, periculum sit, ne brevi nullus locus amplius saperit, in quem se recipere possint. Christum ergo præoccupare & dicere, hanc ipsorum functionem, & proinde etiam persecutionem in ea, non fore diuturnam. Etenim futurum, ut antequam Palæstinam seu civitates Israelis circumirent & peragrarent omnes, ipse adesset, & sua præsentia eos tueatur. Hic sensus est Divi Chrysostomi, quem non pauci sequuntur. Cæterum, quia hæc prima Apostolorum missio abiit sine persecutione; ideo hæc

verba aliqui extendunt ad secundam missionem, qua post Domini ascensionem in coelos Apostoli jussi sunt abire in universum orbem terrarum, & prædicare Evangelium non tantum Hierosolymis, in Judæa, & in Samaria, sed & omni creaturæ ad ultimas terras, Marc. 16. v. 15. Actor. 1. vers. 8. Quam missionem protinus eodem ad huc anno post cædem Stephani excepit magna & gravis persecutio, Actorum 8. vers. 1. quæ pios & credentes per regiones Judææ & Samariæ dispersit. Putant ergo illi, CHRISTUM hac consolatione ipsorum animos permunire voluisse, atque promittere, se justum judicem & vindicem sanguinis ipsorum affuturum, etiam antequam omnes urbes Israelis obivissent. Huic sensui favet historia illius temporis. Nam antequam Christiani circa 40. post ascensionem Dominicam annum penitus ex Judæa Pellam usque expellerentur, jam quinto anno ante sub Nerone initium factum fuit belli Judaici, in quo filius hominis venit, & justo judicio vindictam sumit de Judæis, qui Evangelium & ejus præcones in urbibus suis ferre noluerunt. Eodem modo adhuc hodiè, filius hominis venit in judicio, & est testis velox Malach. 3. vers. 5. adversus eos, qui Evangelium Christi audire detrectant, & modis omnibus persequuntur. Et hic est secundus sensus illius dicti CHRISTI. Porro Divus Augustinus libr. 2. adversus secundam Epistolam Gaudentii capit. 12. hanc sententiam Christi ita accipit, quod Dominus promiserit sinceris Evangelii Doctoribus, & eorum sectatoribus, nunquam ad finem seculi usque defutura loca, ad quæ securitatis ergo possint confugere. Cum enim in universo orbe prædicandum sit Evangelium, & nusquam nec unquam desint, qui illud persequantur, innuere Servatorem, omnibus itidem temporibus alicubi futuros aliquos, qui grato animo præconium salutis, per filium hominis partæ, suscepturi, & ob receptam illam fidem etiam ejus præconibus nidum concessuri sint, in quem tuto ac securè se recipere queant. Ergo quod Dominus hic dicit de civitatibus Israelis, illud juxta hunc sensum Augustini accipi debet non de carnali Israele, sed de spiritali, de quo Paulus Roman. 6. vers. 6. & Galat. 6. vers. 17. Sicut etiam in Psalmo 69. vers. 36. per civitates Judææ, quas tempore Messii ædificandas prædicit David, intelliguntur civitates fidelium Christianorum, qui Spirituales sunt Judæi, Christum confitentis. Quo sensu etiam Jesaias dixit capit. 19. v. 18. in Ægypto futuras quinque civitates loquentes lingua Chanaan, & jurantes per DOMINUM exercituum. Divus Hieronymus aliam habet intelligentiam hujus sententiæ, quæ tamen coactor videtur. Is enim Græcum verbum *μη τελέσητε*, non finietis, accipit pro *non proficietis*, non consummabitis, ut sensus sit: vestra doctrina non reddetis perfectas omnes civitates Israel, nec eas omnes ad fidem convertetis, nisi postquam intraverit plenitudo gentium, & jam adsit tempus secundi adventus Domini. Hi sunt diverſi sensus Interpretum, quoad hanc CHRISTI sententiam. Sed quocumque sanè sensu quis eam accipiat, eo tamen recurrit summa rei, CHRISTUM suis polliceri, etiam

iam in ipsis persecutionibus nunquam eis defutura loca tutiora, in qua securitatis ergo se recipere possint. Huic promissioni etiam nos fidamus.

4. Quarto solatur suos adversus metum ignominiae & contumeliarum, quae in munere docendi sive Ecclesiastico erant sustinendae. Vix quicquam est, quod generosos animos gravius urat, quam convicia & calumnia. Calumnia, inquit Salomon, conturbat sapientem, & perdit robur cordis ipsius, Eccles. 7. v. 8. At vero ferè semper hostes veritatis fideles CHRISTI servos nimis convitiorum & mendaciorum obruunt, quibus ipsos vulgo suspectos reddunt, quasi indigni sint, quos terra ferat. Huic malo Dominus occursum, ipsos duplici argumento confirmat. Primum sumptum est à proprio CHRISTI exemplo. *Non est discipulus, inquit, supra praeceptorem, neque servus supra Dominum suum, &c.* Ex vulgo desumpta est haec sententia. Nam vel minimo ex plebe iudice turpe fuerit, si Dux belli pedes incedat, & gregarii milites, vel equis, vel curribus vehi velint. Ita sufficiat discipulis non malè gratis & servis fidelibus, si eadem sorte & conditione cum praeceptoribus & heris suis fruuntur. Intolerabilis enim & odio digna est illa animi sive superbia, sive mollities, qua quis supra Praeceptorem vel Dominum suum ita se effert, ut sibi melius quam illi esse velit. Hinc ergo infert Christus: *Si ipsum patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos illius?* Non vocat seipsum Magistram, nec etiam Dominum, sed *patrem familias*. Eo respiciens, quod Ecclesia sit domus Dei, 1. Timoth. 3. v. 15. in qua Christus credentibus, tanquam pater familiae suae, praesidet, ad quam ipse suos colligit, & in qua gratiae suae thesauros dilectis & electis suis dispensat, donec ipsos in aeternum gloriae regnum assumat. In hac domo credentes sunt *οικονομοι*, concives sanctorum, & domestici Dei, Ephes. 2. vers. 19. ac proinde ad ipsos pertinet usus fructus omnium caelestium bonorum, quos hic Pater familias, aeternus Dei filius, immaculati sui sanguinis pretio peperit & domesticis suis distribuit. Et haec dignitas infinitis vicibus major & praestantior, quam si potentissimi Regis aulici vel familiares essemus. Hinc enim, quia domestici facti sumus Dei, sumus etiam filii Dei, & ejus haeredes, cohæredes autem Christi: Si tamen compatimur, ut & glorificemur. Roman. 8. vers. 17. Quod si ergo Patrem familias spiritualis hujus domus, Dominum Jesum Christum, *Beelzebub vocarunt*, (id quomodo sit factum, & quid hoc convitio Judaei intellexerint, superius c. 59. hujus Harmoniae prolixè est explicatum) quid mirum idem etiam credentibus, & inter hos potissimum verbi Doctoribus, accidere? Malè quidem habuit Jeremiam, capit. 15. vers. 10. quod vir rixarum & discordiae dictus est in universa terra. Paulus quoque in suis Epistolis, praesertim in utraque ad Corinthios, prolixas Apologias instituit, quibus se adversus aemulorum suorum calumnias tutatus est. Nec à Deo etiam verbi ministro prohibitum est, ut quis legitimo modo se contra calumnias & injurias malevolorum defendat. Sed si quis contumelias omnes avertere ne-

Harm. Tom. I.

queat, non propterea animo nimium discrucietur, neque se iustam convitiandi causam habere arbitretur, sed animam suam in patientia commendet caelesti & spirituali huic patrifamilias, qui & ipse publicè pro impostore, seductore, cultus divini prophanatore, legis divinae violatore, pacis publicae turbatore, Samaritano, daemonum servo, & qui virtute Beelzebuli daemona ejiciat, passim in Evangelio, sed mendaciter, proclamatus & diffamatus est. Hic domesticorum suorum (quod & alias boni & honesti viri face-re solent) famam, existimationem & honorem non negliget, sed suo tempore vindicabit. Ipse enim apud Prophetam dixit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, vel, ut alii juxta Hebraeorum textum legunt, oculi sui, Zach. 2. v. 8.*

Hic verò aliqui excipiunt. Facile sanè nobis foret calumnias & convitia improborum contemnere, si modo de nostra innocentia aliis constaret. Jam verò hoc intolerabile videtur, quod innocenter aliis suspecti reddimur, nec ulli defensionis locus datur. Huic querimoniam alterum argumentum opponit à natura Veritatis, inquiens: *Ne timueritis vos. Nihil enim est opertum, quod non sit revelandum: & nihil occultum, quod non sit cognoscendum.* Hanc parœmiam Christus etiam mutuatus est à vulgo, qui statuit, omnia etiam occultissima suo tempore esse revelanda. Unde etiam gentium sapientes veritatem temporis filiam esse dixerunt: & eandem finxerunt esse nudam, quam tempus ex obscuris terrarum cavernis in lucem extrahat. De hac temporis natura etiam Sophocles eleganter inquit; *απανθ' ο μακρος κἀναρθημηθη. χρονος φυνει, τ' αδηλα καὶ φανεία κρυπίαται.* Potest haec generalis sententia variis modis accommodari. Sicut etiam de hac sententia superius cap. 61. sub finem parabolaë de semente in quadruplicem terram cadente, aliquid dictum est. Quod tamen praesentem locum concernit, monet is primum omnes homines, ne spe impunitatis peccent. Est enim ea peccatorum foeditas, ut etiam improbissimos eorum pudeat: qui tamen ab iis non abstinent, ubi ea celari posse arbitrantur. Unde omnes, qui malè faciunt, fugiunt lucem, Johann. 3. vers. 20. sed turpiter falluntur. Nam & Deus, qui *ἐκδικον ὄμμα* habet, & apud quem nox sicut dies illuminatur, Psalm. 139. vers. 12. hoc videt, & suo tempore miris modis in lucem protrahet. Cain fratrem Abelum clam occiderat: sed sanguis ejus etiam terra obrutus ad DEUM pro vindicta clamavit, & exauditus est, Genes. 4. vers. 8. David Uriæ uxorem in occulto constupravit, & mariti eadem subdole procuravit: Sed dominus & vidit, & graviter per Prophetam corripuit, 2. Sam. 11. vers. 4. Jezabel injustam Nabothi eadem publici iudicii auctoritate texit, sed DEUS eam Eliae manifestavit, &, ut hoc nomine Regem Achabum graviter redargueret, instruxit, 1. Reg. 21. v. 17. Nemo ergo spe impunitatis sive mentiat, sive mœchetur, sive furetur, sive imposturas exerceat, vel innocentem sanguinem fundat. Discurrunt enim oculi Domini in universam terram, Zachar. 4. vers. 10. & abditissima quævis ex latebris occultis eruunt, suoque tempore puniunt,

Xxx 3

unt. Deinde verò, ut proprius ad rem accedamus, servit hæc parœmia, consolationi, ut ad ferendas contumelias & injurias patientes simus. Utcunque enim innocentia & integritas nostra ad tempus hominibus incognita & occulta est: suo tamen tempore, ex Dei dispensatione, vel in præfenti seculo, vel certè in novissimo die, omnibus erit patefacienda, & ab omnibus collaudanda. Sicuti hoc commonstrant exempla Josefhi, calumniis impudicæ heræ oppressi. Davidis contra Saulem, Susannæ contra duos seniores, Apostolorum item & Martyrum, quos hodiè divinis honoribus prosequitur mundus, qui olim eos hac luce indignos judicavit. Iccircò parati simus Christum Dominum sequi, per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam: ut seductores & tamen veraces, 2. Corinth. 6. vers. 8. non dubitantes Christum suorum innocentiam suo tempore graviter asserturum, & effecturum, ut memoria justi sit æterna. Psalm. 112. vers. 7. & laudem habeat, Proverb. 10. vers. 7. nunquam intermorituram. Ideoque verbi ministri mundi calumniis, & perverso ejus judicio nihil moveantur, sed intrepidi in officio suo, cui à Christo destinati sunt, pergant, nec in gratiam infelicis mundi ea celen, quæ DEUS graviter & in aperta luce argui vult. Sicut Christus ipse hoc argumentum hisce verbis concludit: *Quod dico vobis in tenebris; hoc dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate super tecta. In tenebris & in aurem dicta metaphoricè intelliguntur ea, quæ privatim & secreto dicta sunt: in lumine autem, & super tecta ædium dicuntur ea, quæ palam & omnibus prædicantur.* Loquitur autem secundum morem provinciæ Palæstinæ, in qua tecta non fuerunt acuminata, sed plana, ut in iis residere & colloqui potuerint. Peccant ergò in hanc Christi doctrinam, quicunque mundi superstitiones, & vitia apertè argui & corripi nolunt, & verbi ministros sic suo munere fungi volunt, ne quem offendant. Sicuti olim Judæi Prophetis dixerunt: Nolite nobis aspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, recedite à via, declinate à semita, & cesset à facie nostra sanctus Israël, Jesa. 30. vers. 10. Item: ne prophetetis, Amos 2. vers. 12. ne stilletis, non comprehendet nos confusio Mich. 7. vers. 6. Et hodiè multi sunt, qui prurientes auribus, verbi ministros, imò ipsi Spiritui sancto leges dictare audent, qualiter munere suo in Ecclesia fungi debeant. Sed audiant illi potius Deum, qui suis per Prophetam dicit: clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, Jesa. 58. vers. 1. Quis fidelis Medicus mollitiei sui ægri tantum indulget, ut sibi præscribi patiat, qualiter & quomodo ulcera morbida tangere debeat? Et animæ Medicus illud ferret?

5. Postremo solatur suos adversus metum occisionis & mortis periculum, in quo pii tota die versantur, æstimati sicut oves occisionis, Psalm. 144. vers. 23. Roman. 8. vers. 36. Adversus hunc metum ipsos animat duplici argumento. Primum comparatione constat: Confert enim inter se, corpus & animam; vitam item hanc caducam & æternam; hostes denique, quos in terris

habemus, & ipsum Deum. Hostibus in his terris tribuit, quod corpus trucidare, nosque vita hac mortali privare possint. Deo autem tribuit, quod postquam corpus perdidit, nosque vita hac mortali mulctarit, corpus simul & animam cœlesti vita privare, & æternis gehennæ cruciatibus adjudicare possit. Ac proinde vult, ut vel saltem communis sensus judicio usi, magis de animæ, quam de corporis salute solliciti simus, priorem illius quam hujus servandi rationem habeamus, atque eapropter magis Deum quam tyrannos metuamus. Horum enim crudelitas, ultrius non, quam in corpus sævire potest, quo extincto, jam desæviit ipsorum tyrannis. Bene autem etiam post temporalem hanc vitam, animam & corpus abjicere potest, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Jesa. 66. v. 24. Ex his patet, 1. post hanc mortalem vitam superesse adhuc aliam, in qua totus homo, corpore & anima, vel in æternum gaudebit, vel in æternum cruciabitur. 2. Vitæ illius arbitriume esse penes solum Deum, qui in sua potestate habet homines vel in cœlestem vitam assumendi, vel ad inferos eosdem detrudendi. Ipse, & non Pontifex Romanus cum sua excommunicatione, habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, Apocal. 3. v. 7. 3. Animæ quoque immortalitas ex hisce manifestè demonstratur. Quicquid autem de animæ occisione dicitur, illud spiritualiter est accipiendum. Nam triplex animæ vita statuitur. Una ipsius naturæ: secundum quam est immortalis & incorruptibilis. Altera gratiæ: qua vivit in Christo, quam homo ipse sibi per peccatum auferre potest. Tertia gloriæ & æternæ felicitatis, quam, ut solus Deus confert, ita idem solus aufert iis, qui in peccatis contra conscientiam perseverant & moriuntur. Interim & hoc observandum, quod Christus hic dicit, non timendos illos, qui potestatem habent trucidandi corpus, non absolute, sed & ipsam ex comparatione dictum esse. Nimirum cavendum, ne homines plus timeamus quam Deum, adeoque propter homines aliquid faciamus præter officium, quo Deus offendi possit. Etenim etiam magistratui timor debetur, ut & Paulus dicit Roman. 14. vers. 7. reddite timorem, cui timorem. Hic tamen timor ita ipsi reddendus est, ut ne quid contra DEUM committamus. Alias Petrus dicit, Actorum 5. v. 29. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Timor enim Domini initium sapientiæ. Intellectus bonus omnibus facientibus: laudatio ejus manet in seculum seculi, Psalm. 111. v. 10.

Alterum argumentum, quo Christus suos adversus mortis metum confirmat, desumptum est à providentia Dei & paterna ipsius cura erga fideles. Estque hoc argumentum præcedenti firmius, quia docet, tyrannos & hostes nostros, quantum vis crudeles & potentes, ne illam quidem potestatem mortalem hanc vitam nobis eripiendi, absolute habere, sed tantum ex permissione Dei, qui sua providentia nostram vitam sibi commendatam habeat. *Duo passeruli assario veniunt, & unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro.* Emphasis verborum, quibus describitur provi-

Providentiam Dei, observanda est. Sumit in manus contemptissimam avem, *passerem*. Nam Plinius lib. 10. cap. 36. inquit: Passeri minimum vitæ, maris negantur anno diutius vivere, ob salacitatem. Alii dicunt, passerem lepram & morbum caducum sapius incurrere. Hæc tam vilis contempta, & omnibus exosa avis, *passer*, ut unus non dignus æstimetur minimo & vilissimo pretio (*dosæ 100* enim est diminutivum ab asse, & minutissimam monetam denotat, dimidiandi, si quis vendere & obolum lucrari velit. Apud Lucam cap. 12. v. 6. adhuc major est auxesis: *Quinque passerem venduntur dipondio*, sive duobus assariis, q. d. Nemo libenter exponit *dosæ 100* pro duobus passeribus, si maxime auceps velit vendere, sed pro uno nummo emit quinque passerem, ut unus passer in lucrum cedat: *Sondern er muß einen in kauff geben*. Et tamen unus ex illis, licet hominibus contemptissimi & vilissimi habeantur, *non cadit in terram*, hoc est, non capiuntur, nec necantur, sine nutu & voluntate Dei, qui Deus vester, non autem passerculusorum pater est. *Imo & capilli capitis vestri numerati sunt*. Quid vilius vel etiam contemptius est in toto corpore nostro quam sint capilli, qui non sunt membra, sed potius excrementa & superfluitates? Et tamen ego affirmo, dicit Christus, cœlestem patrem usque adeo nihil vestri vel ignorare, vel negligere, ut non solum capitis vestri curam habeat, sed etiam omnes ejusdem capillos numeratos teneat, eorum multitudinem exacte sciens ac custodiens, veluti quæ sub certo numero alicui asservanda committuntur. Cum ergo tanta illius erga vos sit providentia & cura, nolite existimare, sine ipsius præsentia quicquam vobis accidere. Cumque idem paterna vos prosequatur caritate, & pro salute vestra continenter excubet, persuasissimum vobis sit, nequaquam mala esse posse, quæcumque vobis, ipso sciente, volente, & permitte, accidunt, nec unquam ipsum passerulum esse, vos occidi, nisi cum maxime vos mori expediat. Ne ergo vobis terrori sit hostium rabies & potentia, *vos multis passeribus digniores & præstantiores estis* coram Deo, qui hostium malitiam providentiæ suæ freno coercere potest. Præbet sane hic locus insignem consolationem, si quis vera fide eum perpendat. Cur enim non rejicimus omnes nostras curas in eum, qui etiam aves, pisces, & pecora campi pascit propter nos, propter quos ista omnia creavit. Qui etiam, cum sit indulgentissimus, idem & sapientissimus Pater, longe rectius novit, quid nobis utile & salutare sit, quam ipsi novisse possimus. Ostendit quoque hic Christus simul, quod providentia DEI suos habeat gradus. Nam licet illa se extendat ad omnes creaturas: præcipue tamen commendatur ea in gubernando genere humano. Unde Christus hic dicit: *vos multis passeribus pluris estis*. Et in ipso quoque genere humano, peculiaris & specialis est ratio divinæ providentiæ erga illos, qui sunt membra Ecclesiæ. Sicut Paulus dicit, 1. Tim. 4. v. 10. Deus est Servator omnium hominum, maxime autem credentium. Psalmus quoque 100. v. 3. dicit: Ipse fecit nos, & non ipsi nos, id est, totum genus humanum: Nos autem (sc. in Ecclesia) sumus populus ejus, & oves pascuæ ejus. Si quis ergo contra hunc locum de passeribus objicere vellet locum Pauli, 1. Cor. 9. v. 9. Nunquid de bobus Deo curæ

est? Illi secundum hoc gradus providentiæ respondendum, aut cum Ambrosio dicendum esset: Non curat Deus de pecoribus propter hæc ipsa, sed propter nos, quorum causa creavit: & ideo de nobis præcipue curat. Quod vero aliqui ex Hieronymo in Habacuc citant, quod scripserit: Absurdum esse ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur, quora pulicum & muscarum sit multitudo, quotve pisces narent in aquis. Non sumus tam fatui adultores Dei, ut dum providentiam ejus ad ima extrudimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem irrationabilium & rationabilium providentiam esse dicentes. Illud sane etiam secundum distinctos gradus providentiæ intelligendum erit: aut certe dicemus, D. Hieronymum humanæ rationis speculationibus nimium indulgisse. Nos in eminentiori dignitatis gradu collocati, vilia & contempta non curamus, idem etiam nobis de Deo imaginamur. Sed scriptura dicit Sap. 6. v. 8. & 12. v. 13. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus.

IV. Nunc sub finem hujus instructionis Christus rationem sui regni Apostolis plenius exponit. Prophetæ enim olim valde magnifica de regno Messiae prædixerant. Quod sit futurus Rex à Deo constitutus super Sion montem sanctum, Psal. 2. v. 6. qui sit dominaturus à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, Psal. 72. v. 8. cui etiam omnes gentes & populi sint subijciendi, quos ipse sit judicaturus, Jes. 2. v. 2. Adeo ut gens & regnum, quod ipsi servire nolit, sit excindendum, Jes. 60. v. 12. Siquidem Deus ipsi dixerit: sede à dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum, Psal. 110. v. 1. Hinc Judæi omnes sibi imaginabantur ejusmodi Messiam, qui instar Davidis vel Salomonis Hierosolymis regiam suam esset habiturus, & inde suos non tantum ex tyrannide Romanorum liberaturus, verum etiam totius orbis imperium aditurus, sicque securam tranquillitatem Judæis præstiturus. Propterea enim ipsum vocari Principem pacis, Jesa. 9. v. 6. quia in ipsius regno tam stabilis & firma animorum consensus sit futura, ut lupus cum agno, & pardus cum hædo possint cohabitare, Jes. 11. v. 6. Hoc tam jucundum de mundano Messiae regno somnium etiam Apostoli ipsi imbiberant, eoque ebrii, tot ineptas interdum quæstiones de regno Christi, qualis fuit illa, Act. 1. v. 6. contentiones item & altercationes de primatu, Matth. 18. v. 1. & 20. v. 20. Luc. 22. v. 24. moverunt. Quia verò hic error Apostolos in prædicatione Evangelii, ad quam à Christo destinati erant, & jam emittebantur, plurimum retardaturus erat, id eo eum funditus ipsis eximit, & longe aliam sui regni rationem futuram testatur, quam ipsi sibi imaginarentur. *Nolite arbitrari, inquit, quod venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium*. Hic ante omnia attendendum, quo sensu Christus dicat, se non venisse, ut mittat pacem, ne & Prophetis & sibi ipsi contradicere videatur. Nam non tantum Jesaias testatur c. 9. v. 7. sub Messia non fore pacis finem: sed & Christus in hac ipsa instructione Apostolis injunxit, ut in quamcumque domum divertant, pacem presentent inhabitantibus, quæ sit super eos requietura, si in illis sint filii pacis. Explicationem autem Christus ipse nobis in manus præbet, dum dicit,

dicit, *se non mittere pacem in terram*: nimirum significat, se loqui de pace terrena, qualem filii hujus seculi & querunt & colunt, quæ fere mala est & perniciofa, atque homines à Deo abducit, ipsique inimicos facit. Qualis est pax & concordia eorum, qui adversus Christum & ipsius Evangelium conspirant, ut jugum ejus excutiant, & veritatis doctrinam extinguant, Psal. 2. v. 3. Qualis etiam est prædonum, furum & latronum inter se, qui conjunctis studiis & viribus alios opprimere, expilare & deprædari solent. Qualis denique est scortatorum, aleatorum & similibus, qui unanimi studio scelerum licentiam sequuntur. Licet autem hæc pax proprie & coram Deo pax dici non mereatur, sicuti Dominus apud Prophetam dicit. Non est pax impiis. Jes. 48. v. 22. & 57. v. 21. tamen quia terreni & mundani homines tales conspirationes pacis nomine insigniunt, Christus etiam hic humano more loquitur, sequentem pacem minime in terram mittere fatetur. Pax verò *Christi*, quæ Phil. 4. v. 7. pax Dei, quæ exsuperet omnem sensum, dicitur, & de qua ipse dicit, Joan. 14. v. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, longe est alia pax. Nimirum ipse nos primum cum Deo reconciliat: deinde expiatis peccatis nos adversus Satanæ accusationes tutos præstat: in super conscientiam pacatam & tranquillam reddit, ut in mediis tentationibus & tribulationibus stemus & gloriemur: denique homines pios & vere fideles vinculo pacis & concordie, ceu verò Spiritus sancti glutine, sic conjungit, & sub uno capite connectit, ut in ipso idem velint, sentiant, & fateantur. Non ergo à scopo genuino aberrant, qui illud Pauli Ephes. 2. v. 14. Ipse est pax nostra, sic explicant, ut dicant, Christum suo adventu pacem acquisivisse: 1. *supra nos*. Quia ipse perfecta sua obedientia cœlestis patris iram sedavit, eumque permovit, ut non amplius velit nobiscum condescendere in judicium, sed jam cogitat de nobis cogitationes pacis & non afflictionis, Jer. 29. v. 11. quia in ipso filio est placatus, Matth. 3. v. 17. & licet quotidie ex imbecillitate carnis labamur, in cœlis tamen habemus fidum advocatum Jesum Christum, qui sedet ad dextram patris & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. 1. Johan. 2. v. 2. Acquisivit eandem *infra nos*. Quia jam nihil est damnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8. v. 1. Terrere quidem nos potest infernus hiante suo rictu: sed ipsi, ex vera fide in Christum, lætum *ἠνθίσενον* cantare possunt, ubi mors est victoria tua? Ubi est inferne stimulus tuus? Mors absorpta est in victoriam, Os. 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 55. 3. Acquisivit pacem intra nos. Nam justificati fide pacem habemus, Rom. 5. v. 1. Idcirco, licet in omnibus tribulationem patiamur, non tamen angustiamur: hæsitamus, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed in ea non deserimur, dejicimur, at non perimus, 2. Cor. 4. v. 8. Hoc inde fit, quia scimus, nos propter Christum etiam in mediis persecutionibus esse in gratia Dei; ideo magno animo dicimus, si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31. 4. Denique acquisivit etiam pacem *circa nos*. Nam qui Christum attinent, illi, quantum in ipsis est, pacem habent cum omnibus hominibus: Rom. 12. v. 18. adeo ut etiam pro persecutoribus & calumniantibus orent. Matth. 5. v. 44. non reddunt malum pro malo, sed bonum pro malo, ut sic prunas congregent super capita inimicorum

suorum, Prov. 20. v. 22. & 25. v. 22. Ex his intelligimus quomodo Christus sit pax nostra: & tamen hic dicat, quod non venerit mittere pacem in terram. Postmodum etiam perpendendum est, quomodo Christus venerit *mittere gladium*, per quem & persecutionem adversus pios, & separationem fidelium atque infidelium, seu electorum atque reprobatorum intelligere possumus. Evangelium enim seu sermo Dei est penetrabilior omni gladio accipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, & intimos cordis recessus penetrat, Hebr. 4. v. 12. Ubi ergo Evangelium prædicatur, & Christus per illud verum Dei cultum atque synceram pietatem ab omnibus superstitionibus defecatum docet, suadet & urget: ibi Satanæ etiam regnare vult, & domicilium suum tueri, cui, quando Christus non vult cedere, inde oriuntur iræ, odia, rixæ, hostiles conatus & insultus. Et hic est ille gladius, de quo Christus hic loquitur. Hoc autem nec Christus nec Evangelium faciunt per se, sed per accidens. Per se Christus est Princeps pacis, Jes. 9. v. 6. per se Evangelium est verbum reconciliationis. 2. Cor. 5. v. 18. per se electi & fideles sunt pacis & concordie studiosi, nec mundum lædunt, aut auctores sunt seditionum & tumultuum, quin sermone & exemplo pietatem propagant. Sed per accidens fit, nimirum Satanæ malitia, & mundi vitio, quod ad Evangelii Christi prædicationem dissidia, contentiones, lites, turbæ, & graves motus oriuntur: quia nimirum totus mundus est in malo positus, 1. Joh. 5. v. 19. nec ferre vult, superstitiones suas argui, scelera corrigi, operum justitiam annihilari, seque prædicatione Evangelii in ordinem redigi. Quando ergo fideles & electi Christi pastores sui vocem audiunt eumque sequuntur, sicque juxta verbum Domini, Jes. 2. v. 11. & 2. Cor. 6. v. 17. exeunt à medio impiorum, seque separant ab ipsis, ut irreprehensi & inculpati vivant in medio nationis pravæ ac perversæ, in mundo splendentes ut luminaria: Phil. 2. v. 15. tum impii hanc secessionem pro intolerabili injuria interpretantur, irascuntur, fremunt, imo furere incipiunt adversus credentes, atque sic gladium arripiunt, de quo hic Christus loquitur, ut eos, quos studiosi & moribus suis contrariam viam ingredi vident, ferro, flamma, fune persequantur. Estque hujus dissidii vis tanta, ut ne iis quidem, quos alioquin naturæ vinculum arctissime constrinxit, parcant. Sicuti experientia edocet, acerbiores & implacabiliores inimicitias nullas esse, quàm quæ ex dissensionibus de religione enascuntur. Sicuti hic Christus tria paria cognatorum & affinium, in una domo dissidentium, recenset, *patris & filii, matris & filii, socrus & nurus*. Mutuatus est Christus hæc verba ex Prophetis Jer. 9. v. 4. & Mich. 7. v. 5. Differunt illi in istis verbis de effusa & projecta suorum hominum malitia. Ea Christus ad suum institutum accommodat, ut & ipse declaret, quæ & quantæ dissensiones ob professionem doctrinæ Evangelicæ sint exorituræ, ut nec filius patri, nec matri filia, nec nurui socrus parere velit, aut vice versa. Hujus rei exempla plurima vidit nostra ætas: quando sæpe accidit, ut filius crederet Christo, patre impio manente: aut contra filii reprobi manserunt, conversis parentibus. Id si fiat, semper reprobi ad arma insurgunt contra fideles, & necem contra illos moluntur, fidelibus interea qui-

quiescentibus & patientibus. Ex his omnibus discamus agnoscere pravitatem ingenii humani, quod Satanas sua malitia eo impellit, ut inde majoris impietatis occasionem arripiat, unde ad fidei obedientiam induci debebat. Hinc Christus, qui positus est in resurrectionem in Israel, multis cedit in ruinam, Lu c. 2, 34. Et Evangelium, quod omnibus debebat esse odor vitæ ad vitam, fit aliis odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. v. 16. Corpus quoque Christi in pane cœnæ, qui debet esse panis vitæ, Joan. 6. v. 48. multi manducant ad iudicium, eo quod non dijudicent corpus Domini, 1. Cor. 11. v. 29. Et quid mirum? Si Sol calore suo ceram molliorem reddit, lutum autem indurat: quod etiam sol iustitiæ Christus, Evangelii sui radiis electos emolliat, impios autem & reprobos præfractiones reddat. Modo attendamus, ne culpam malitiæ in Christum vel ipsius Evangelium rejiciamus, sed improbo mundo adscribamus. Et hæc de sorte regni sui Christus: ex quibus patet, illud non modo terrenum, secundum vulgarem Judæorum opinionem, futurum, siquidem ejus subditi non ad inferendas sed ad ferendas injurias parati esse debebant.

2. Si quis verò sollicitus inquirat, quid in hac mundi malitia, in qua etiam domestici sui inimici sint futuri, ipse facere debeat, ei Christus in sequentibus respondet & dicit: *Qui patrem & matrem amat supra me, non est me dignus, &c.* Summa verborum Christi eo redit: *γνησιος* suos discipulos, omnia, quæ in hoc mundo carissima habere possunt, Christi gloriæ postponere debere, ita ut extrema quævis potius ferant, quam se à fide & obedientia Christi abstrahi patiantur. Consentit cum hoc Christi consilio id, quod Micheas, quosquam de corruptissimis sui seculi moribus differuisset, subjicit c. 7. v. 7. Ego verò ad Dominum respiciam, & expectabo Deum salutis meæ, Deus meus me exaudiet. Sed videamus verba Christi, qui quasi per gradus progreditur, & ostendit, nihil cari in hoc mundo sibi anteponendum esse. Primus gradus amoris est erga parentes, à quibus post Deum corpus & animam, opes & vitam accipimus. Si quis horum monitis, exemplis & factis, se à Christo avellere patiat, ut ejus fidem & obedientiam abneget, is *Christo non est dignus*, id est, indignus est, qui Christianus dicatur, qui partem aliquam habeat in ipsius dignitate gratiæ sive gloriæ. Sub *patris & matris* nomine etiam magistratum, præceptores & alios in eminentia vel auctoritate constitutos intelligere debemus, ne hos Christo & ipsius verbo præferamus, licet sapientissimi vel potentissimi videantur, si ipsi contraria præcipiant. Huc enim pertinet illud Christi Matt. 22. v. 21. Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Et illud Apostolorum, Act. 4. v. 19. Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. Interim his verbis Christus non probat Anabaptistarum & Monachorum in parentes impietatem, qui contra eorum voluntatem aliud vitæ genus suscipiunt, aut percalcatis ipsis ad monasteria, ab infernali Dracone fundata, pergunt. Nam obedientiam erga parentes ipse suo exemplo confirmavit, Luc. 2. v. 5. 1. Phariseos quoque reprehendit, Matt. 15. v. 3. quod suis traditionibus transgressionem quarti præcepti introducerent. Ipse denique moriturus matris curam habuit, eamque Joanni discipulo commendavit, Joan. 19. v. 27.

Secundus gradus amoris est erga *liberos & nepotes*, quos omnes tenerius amamus, quam res alias, quia amor, ut vulgo dicitur, descendit & non ascendit. Sub *fili* autem & *filie* nomine omnes res dilectissimæ & propinquissimæ intelligi possunt, quales sunt cognati, affines, amici, & eorum bona, patrum item opes, honores, dignitates, & quicquid in orbe gratum vel pretiosum est. Incomparabiliter fatius est illa, quam Christum abnegare: quandoquidem hac ratione homo se indignum reddit Christo, & exortem omnium ipsius beneficiorum. Interim & hoc observandum, Christum minime docere *ἀσorgίαν*, nec velle, ut naturalibus illis affectionibus renuntiemus, & impii efficiamur erga eos, quos natura lex nobis commendat. Nam loquitur per comparisonem, qui illa *amat plusquam me*, hoc est, qui inordinato affectu illa Christo præfert. Alias fixum manet illud Pauli: Si quis tuorum & maxime domesticorum curam non habet: fidem negavit, & iste infideli deterior, 1. Tim. 5. v. 8. Qui etiam 2. Tim. 3. v. 5. *ἀσργυς* refert inter pestes novissimi seculi.

Tertium gradum amoris ponit *Φιλανίαν*, amorem sui ipsius, suæ famæ & exultationis, quem itidem sibi cedere vult, dum subjicit: *Et qui non accipit crucem suam, &c. σωροί*, ut habet Hefychius, sunt defixi stipites, valli, & omnia ligna recta, stantia, dicti *δρόξ* & *ἰσάνας*, ἢ *εὐξ* & *εἰς τὴν αὐραν ἰσασθαι*, vel ab eo quod stent, vel quod ad auram consistant. Lucianus in Dialog. ingeniose & apposite ad rem *σωρον*, crucem, derivat, a litera *Ταυ*, quæ figura crucem præfert. Nam inquit: *δρό τὸς (εὐξ) τῶ περὶ ἡματι τῶ πονηρῶ ἢ πονηρῶν ἐπιωνυμίων σωελθῆν*, ab ista etiam, instrumento pessimo (cruci) pessimum nomen venisse. Latini ergo malam crucem, infelicem arborem, infamem stipitem, damnatum lignum appellant, quod Græci *σωρον* dicunt. Fuisse autem crucis suspendium vile, infame & ignominiosum, adeoque ubique fere gentium receptum supplicium, etiam ex sacris patet. Gen. 40. v. 22. Præfectus pistorum à Pharaone Ægyptio Rege in cruce suspenditur, juxta prædictionem Josephi. Num. 25. vers. 4. ad mandatum Dei Moyses omnes Principes populi Israelitici suspendit contra Solem in patibulis. Josua cap. 8. v. 9. suspendit regem Hai in patibulo usque ad vesperam. 2. Sam. 21. v. 9. Septem viri de posteritate Saulis suspensi sunt de cruce à Gabaonitis. Esther. 7. v. 10. suspensus est Haman in patibulo, quod paraverat Mardocheo. Ex prophanis etiam historiis patet, cruces apud Syros, Æfos & Græcos fuisse usitatas. Maxime autem apud Romanos fuit hoc supplicium servorum aut plebeorum, qui proximi juxta servos. Ubi etiam usitatum fuit, ipsis furcam imponere, & ob culpam aliquam ostentui & ad irrisum circumducere. Et patet ex Etymologicis *σωροκίμνον* & *δικρανοφόρον* Cruciferum & Furciferum pro iisdem habitos, de quibus Glossa vetus, qui peccaverant, pro pœna furcam in collo habentes circuibant, per urbem undique ducti. Plutarchus quoque in Coriolano notat & dicit: Erat apud præcos dominos magna castigatio servi delinquentis, si lignum currus, quod temonem sustentat (Nota, quod Plutarchus hic τὸν ῥυμόν Temonem vocat, id Hefychius *ζυγὸν ἢ ἀμάξης* currus jugum appellat: unde patet jugum Christi Matth. 11. v. 29. & crucem, de qua

de qua hic agit, non procul ab invicem distidere) tollens & ferens exiret circa viciniam. Id enim passus & sic conspectus, non ultra fidem habebat, & vocabatur Furcifer. Habebant autem veteres duplicem crucem vel furcam, unam ignominiosam, alteram pœnalem, quam plerumq; mors est secuta. Nam in levioribus criminibus, ignominia magis quam supplicii causa servi furcam circumge-
 itabant, suum peccatum prædicantes, & cæteros, ne quid simile peccarent monentes. Qui verò gravius deliquerant, illi insuper virgis & flagris cædebantur, & postea cum furca cruci affigebantur, in qua vel feris bestiis objiciebantur, vel ustulabantur, vel alio modo necabantur, nisi sponte exspirarent. Hunc antiquum morem ignominiose tractandi servos & sceleratos videtur Christus hic allegare, ut suos sectatores moneat, in suo regno, usq; adeo mundanum splendorem & dominatum ab ipsis quærendum non esse, ut potius parati esse debeant, omnis generis fannas, ludibria & irrisiones ferre & sustinere, ita ut furca, *crux*, & lignum infame sint expectanda, quibus ceu facinorosi & furciferi omnium aliorum ignominia tantisper sint exponendi, donec aliquando sub cruce succumbant & moriantur. Verba autem aliquanto diligentius sunt expendenda. *Στοιπὸν* seu *Crucem* vocat, non communes illas afflictiones, quarum vita humana plena est, & quæ per peccatum in mundum introierunt: sed singulares illas, quæ piis & credentibus sunt propriae, quas ab impio mundo, qui ipsos odit, sustinent, ob fidei in Christum professionem & Evangelii lucem. Hæ afflictiones crucis nomine à Christo insigniuntur, ut sic nos ad crucem suam remittat, quo illius consideratione, ob societatem & communionem passionum cum ipso, nobis dulcescant. Vult autem, ut quisque accipiat *suam crucem*, non eam quam ipse sibi fecit vel fabricavit, sed quam Deus, qui arbiter est rerum humanarum, cuique propriam destinavit. Singuli, quibus à Deo onus aliquod imponitur, in alios respiciunt, & vicini crucem leviolem & tolerabiliolem sua judicant. Sed falsa hæc est opinio, qua homines se ipsos decipiunt. Nam certum est, si omnium hominum adversitates in unum acervum conjectæ essent, & Deus singulis optionem relinqueret, quam vellent inde desumendi, quisque ramen suam crucem rursus electurus esset. Quia nota mala, mala optima. Quodcumque ergo Deus, qui optime scit, quid cuius conveniat, imponit, id quisq; promte gestandum suscipiat. Ideo Christus utitur verbo *λαμβάνειν* accipiendi, quo voluntariam obedientiam in cruce innuit, qua neque adversus Deum fremamus, neque hominibus, quos malorum illorum auctores esse judicamus, irascamur. Cur enim irascemur illis, qui faciunt, ut conformes fiamus imagini Christi? Rom. 8. v. 29. Fidelis enim sermo, si commortui fuerimus, etiam convivemus: si sustinebimus, etiam conregnabimus, 2. Tim. 2. v. 11. Tantum operam demus, ut in ferenda cruce Christi vestigiis insistamus, sicuti Petrus monet 1. Epist. c. 2. v. 21. Neque enim satis est, ferre crucem, nisi etiam rite feramus. Ideo dicit Christus, *sequatur* *ἔπισω με, με ἀ τέρω*. Ut quemadmodum ipse in cruce nobis prætulit exemplum obedientia, innocentia, caritatis, patientia & constantia: ita nos ipsum imitemur, certi, quod nihil

tam acerbum, vel triste, aut ignominiosum accedere nobis queat, quod non ipse prior sit passus. Sit ergo hic tertius gradus, quod nec famam, nec existimationem nostram tanti facere debeamus, quin Christum & ejus confessionem majoris faciamus. Nam qui adversitates ob professionem Christi immittas, non æquo tolerat animo, non est dignus, qui vocetur Christianus.

Quartus & supremus gradus amoris est vita sive anima. Nam ut Satanas Job. 2. v. 4. Deo dicit Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. De eo Christus dicit: *Qui invenit animam suam, perdet eam. Animam invenire* hic est, rationes, viam & modum reperire, quo se quis possit explicare, ne propter professionem Christi incurrat in periculum mortis. Exempli gratia Petrus Matth. 26. v. 70. existimavit, se expeditam invenisse viam, declinandi omne periculum, si negaret, se nosse Iesum Nazarenum. Sed quod Christus hic dicit, talis perdet eam, illud protinus est expertus. Nam revera omnis vita ipsi amara visa est, donec cum Christo reconciliaretur: & nisi cum ipso reconciliatus fuisset, anima ipsius non ingressa fuisset vitam æternam, sed damnata. Hoc observare debent illi, qui hodie variis artibus eludere volunt pericula persecutionum. Evangelici sunt, sed usq; ad pericula. Viderint ergo, ne dum terrenam hanc & caducam vitam nimis tenere amant, à cœlesti beata vita perpetuo exulare cogantur. Dum econtra *perdiderunt animam suam Christi causa*, hoc est, qui mori malunt, quam Evangelii aut veritatis professionem abnegare, illi *invenient eam*, hoc est, recepturi sunt vitam in resurrectione mortuorum, & inde consecuturi finem fidei suæ, quæ est salus animarum, 1. Pet. 1. v. 9. Est revera hæc sententia efficacissima, non tantum ad inducendam tolerantiam passionum, sed etiam ad perscrutandum contentum hujus vitæ, *propter nomen Christi*. Nam quid ardentius tam in hac vita, quam in omnem æternitatem diligere debemus, quam animam nostram & ejus salutem. At verò rectius hanc procurare non possumus, quam si propter Christum eam in hoc seculo perdamus. Sic enim salutem animæ recte consequemur, custodientes eam in vitam æternam.

Instruxit hæc Jesus Christus prolixè suos Apostolos, qualiter ministerio suo, cui ipsos destinavit, fungi debeant: monuit etiam de periculis & persecutionibus, quas eo nomine sint experturi addidit salutaria præcepta, qualiter in offensa pede se in illis gerere possint: consolationibus insuper gravissimis eos animavit, ne sub persecutionibus deficerent: de ratione denique regni sui disseruit, ostendens, quod illud non futurum sit mundanum, in quo opes, gloriæ, honores & dignitates hujus seculi consecrari queant: Sed quod futurum sit regnum Crucis, in quo non solum ignotos & alienigenas, sed arctissima cognatione junctos, adeoque domesticos hostes sint habituri. Unde proxime conclusit, neminem se dignum discipulum esse, nisi carissimis sui causa renuntiet, ignominiam crucis patienter sustineat, & mori malit, quam Christum vel ejus fidem abnegare. His auditis, potuissent Apostoli cogitare: Si hæc est ratio regni Messia, ut etiam illi, cum quibus ante hæc conjunctissime viximus, odio nos sint habituri, fatius foret ab ejus prædicatione abstinere. Quis enim

enim nos recipiet? quis prædicationi nostræ locum dabit? Huic ergo solitudini ut Dominus occurrat, commode sub finem subicit locum, non tantum de dignitate ministerii Ecclesiastici, sed etiam addit promissiones amplissimas de larga compensatione beneficiorum, quæ in Apostolos & reliquos Christi discipulos conferantur. Unde simul innuit, nunquam vel nusquam defuturos homines fideles, qui sub tectum suum ipsos sint recepturi, ipsisque hospitium præbituri. Quapropter magno & imperterrito animo ipsos munus demandatum suscipere & urgere debere. Atque sic totam tractationem de hac Apostolorum missione concludit.

Equidem fuerunt Apostoli Jesu Christi homines, si externam ipsorum personam, & hujus mundi conditionem spectes, contemibiles, idiotæ, atque illiterati. Sicut etiamnum hodie fere externa verbi ministrorum species nullum præse fert splendorem vel auctoritatem. Ut verè ab Apostolo Paulo de omnibus verbi ministris dictum videatur. 1. Cor. 4. vers. 9. Puto quod Deus nos omnium mortalium novissimos designarit, tanquam morti destinatos, tanquam *καταρραδα νεφελῶν*, purgamenta & rejectamenta mundi. Interim tamen nec ipsi sua carent auctoritate, quia Christus aliunde ipsis dignitatem & majestatem circumdat, nimirum à ministerio verbi, quod ipsis conceditum est. Verbum enim quod prædicant, non est hominum, sed Dei verbum. 1. Theff. 2. v. 13. At Dei verbum hominum splendore vel magnificentia minime indiget, siquidem non tantum ex seipso auctoritatem habet, sed etiam majestatem quandam addit illis, qui illud prædicant. Ideo Christus hic dicit: *Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui misit me.* Intelligit his verbis cœlestem suum patrem: de quo Johan. 20. v. 21. testatur, quod se miserit. Desumit autem argumentum ex communi jure gentium: quod receptum est, ut omnes legati propter eos, à quibus mittuntur, in honore sint & pretio. Usus hujus argumenti duplex est: unus quod Apostolos, quibus conducit ad consolationem, ne detrectent quosvis labores & pericula adire, consideratione suæ dignitatis & reputationis apud Deum, apud quem ipsi in pretio sint & magna existimatione, tanquam ipsius legati, & ex reliquis servis intimi, utcumque ab impiis sint despecti, derisi & afflicti. Hinc videmus Apostolos semper in maximis certaminibus huc respexisse, suamque vocationem, legationem & missionem allegasse, atque inde consolationem & confirmationem hausisse. Pro Christo legatione fungimur, scribit Paulus Corinthiis 2. c. 5. v. 20. An experimentum quaritis per me loquentis Christi? 2. Cor. 13. v. 3. Nolite errare: Deus non irridetur. Gal. 6. v. 7. Alter usus illius argumenti est, quoad auditores, ut hi coparatores sint locum concedendi Evangelii præconibus. Etenim qui Regum hujus seculi legatos honorifice excipiunt, illi apud Reges ipsos magnam gratiam incunt, atque honoris, quem legatis ipsorum exhibuerunt, amplam remunerationem expectant. Ita quoque dubium non est, cœlestem patrem nunquam permisurum, ut honor vel beneficentia suis ministris & legatis exhibita, absque compensatione aliqua abeat.

Et de hac compensatione jam Christus pluribus agit, atque per gradus quasi descendendo enu-

merat, quomodo Deus remunerationem sit instituturus. Primo loco ponit *Apostolos, qui hos recipit*, illum Deum recipere affirmat. Qui autem Deum recipit, is recipit felicitatem & beatitudinem æternam. Sicut etiam hæc ipsa vita æterna est, si quis cognoscat verum Deum, & quem misit Jesum Christum, Johan. 17. v. 3. Nam Christus vult, ut ubi ipse est, illi secum sint, quos pater ipsi dedit, v. 24. 2. Apostolis subjungit *Prophetas*, per quos intelligere possumus Ecclesiæ Doctores, Apostolis inferiores, qui tamen ob interpretationem Scripturarum eximiis donis sunt præditi, cæteris cognitione rerum sacrarum & prudentia excellentiores, loquentes ad consolationem, exhortationem & ædificationem, quorum aliqui etiam dono prophetiæ instructi sunt. Hos qui recipit, mercedem Prophetæ accipit. *Merces Prophetæ* in hac vita est, interpretatio arcana Dei voluntatis, veritatis cognitio, cum multiplicibus etiam temporalibus bonis, sicut tum in Sareptana vidua, 1. Reg. 17. v. 15. tum in Sunamitide fœmina, 2. Reg. 4. v. 8. videre est, tandem verò etiam vita æterna. 3. Prophetis subjungit *Christos justos*. Et quidem si homines spectemus, quales natura sunt, nullus eorum justus dici meretur. Omnes enim in peccatis sunt concepti & nati: Psal. 51. v. 7. & figmentum cordis humani prævium est ab adolescentia sua. Gen. 8. v. 21. Justificamur autem per fidem in Christum, sine operibus legis, Rom. 3. v. 28. Justi ergo dicuntur, qui in doctrina Evangelii eos fecere progressus, ut Christum vera fide amplexi, per ipsum sint justificati, & quod nunc vivunt, non vivunt in carne, sed in fide filii Dei, qui semetipsum tradidit pro ipsis. Gal. 2. v. 20. *Qui hos recipit, mercedem justis accipiet.* Merces justis alia dici nequit, quam de qua Propheta: Justus fide sua vivit, Hab. 2. v. 5. Et Christus passim in Evangelio. Fides tuæ servavit, Luc. 7. v. 50. Nam ab hoc justo & ipse piam institutionem, consolationem, exhortationem, vitæ denique formulam accipiet, quam ita possit sequi, ut ipse fidei & justificationis per fidem præmium, vitam æternam consequi queat. 4. Postremo loco nominat *discipulos*, per quos intelligit eos, qui quidem Christo nomen dederunt, sed recens accesserunt, & proinde nondum ad perfectionem pervenerunt, verum quotidie proficiunt. Hi licet adhuc infirmi sint, & infantum instar vacillent, non tamen eos negligi vel fastidiri vult Christus, sed pollicetur, quod ne minimum quidem humanitatis officium irremuneratum dimittere velit. Quodnam enim magis leviculum officium præstari potest homini, quam sitienti porrigere poculum aquæ frigidæ? Frigidæ aquæ, secundum D. Hieronymum, meminit, ne in calida aqua quis suntum lignorum causari queat. Et tamen hunc quoque mercedem non perdidisse affirmat. Utque asseverationi tanto majus pondus insit, sub forma juramenti eam proponit: *Amen dico vobis*. Sicuti Rebecca, cum Eleasarum servum Abrahami ad fontem potaret. Gen. 24. v. 17. amplam remunerationem suæ promptitudinis adeptæ est: sic etiam illi retributione sua non frustrabuntur. Elucet ex his omnibus Dei bonitas, qui tam amplam remunerationem pollicetur nobis, si non tantum summos illos Dei viros, Apostolos & Prophetas, sed etiam alios justos, imo minimos ipsius servos amemus, honoremus, recipiamus, foveamus, suble-

sublevemus & confirmemus. Non peribit nobis hoc propensissimi officium. Notemus autem 1. quod hæc merces non aliter, quam de liberali & veluti gratuito præmio sit accipienda. Ne quis hoc ad meritum bonorum operum trahat. Quis enim pro levi hoc opere, si porrigat sitienti aquam frigidam, se vitam æternam promereri posse statueret? 2. Notemus etiam, quod recipere non tantum significet hospitio suscipere, & officia humanitatis externa tanquam ex opere operato præstare: sicuti Pharisei Luc. 7. v. 36. & 14. i. Christum in suas ædes deduxerunt, & mensæ suæ adhibuerunt. Sed significat doctrinam ministrorum verbi audire, eamque vera fide suscipere. Quemadmodum Paulus testatur Gal. 4. v. 14. se sicut Angelum Dei, sicut Jesum Christum à Galatis exceptum fuisse. Idem etiam de Thesalonicensibus testatur, 1. Thess. 2. v. 13. 3. Denique notemus etiam abusum hujus γλώσσης vel sententiæ, qua interdum Impostores, quales hodie

sunt Anabaptistæ, Sectarii, Jesuitæ quoque, & qui se sub Apostolorum nomine venditant, hoc praxi ubique receptum quarunt, simplicioribus persvadentes, quod in ipsis Christum, imo Deum ipsum suscipiant. Sed attendant, quod Christus non frustra ter inculcet, tales recipiendos, *in nomine Prophetæ, in nomine justî, in nomine discipuli*. Ergo ante omnia demonstrent, se germanos esse Christi discipulos: demonstrent, se veram & ordinariam habere à Christo vocationem, seque ab ipso missos esse: demonstrent denique, se non hominum commenta, sed Christi Evangelium prædicare. Tum ipsi quoque dicemus, eos audiendos esse, ut Christus est audiendus. Absque hoc si fit, Joan. nobis dicit, Epist. 2. v. 10. Si quis venit ad vos, & hæc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. Et hæc de missione Apostolorum dixisse sufficiat.

CAPUT LXXIII.

REFERENS, QUID JESUS ABSENTIBUS APOSTOLIS
EGERIT, ET QUOMODO APOSTOLI DEMANDATO MUNERE
DEFUNCTI FUERINT. MATTH. 11. v. 1. MARC. 6. v. 12.
LUC. 9. v. 6.

RATIO ORDINIS.

Hic præterea αἰκόλιος, seu nexus historiarum hoc loco planus & apertus est. Postquam enim capite præcedenti expositum est, quomodo Dominus noster Jesus Christus Apostolos suos ad prædicandum emisit, & eosdem mandatis diligenter instruxerit, quid & quomodo prædicare, & quales se inter pericula, quæ subituri sint, gerere debeant, non potest commodius

ulla alia historia subtexi, quam hæc, qua narratur, partim, quid Christus ipse fecerit, postquam Apostoli ab ipso digressi per Judæam & Galilæam Evangelium de ipso prædicarunt, partim quomodo Apostoli legationem à Christo demandatam obierint. Et illud quidem Matthæus, hoc verò Marcus & Lucas præcedentibus è vestigio subjungit: ut dubium nullum sit, illis hunc locum in Harmonia attribui debere.

HISTORIA DE PRÆDICATIONE CHRISTI ET APOSTOLORUM IN
PRIMA EORUM LEGATIONE.

MATTH. 11.

1. Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς δεκάτρεας μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν ἔδιδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν.

1. Et factum est, cum finem fecisset Jesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc, ut doceret, & prædicaret in civitatibus illorum.

MARC. 6.

12. Καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον, ἵνα μεθενοήσωσι.
13. Καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλον, καὶ ἤλειπον ἑλαίῳ πολλὰς ἀρρώστιας, καὶ ἐθεράπευον.

12. Et egressi prædicabant, ut respicerent.
13. Et demonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant.

LUC. 9.

6. Ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο καὶ τὰς κώμας, εὐαγγελίζοντο καὶ θεράπευοντες πάντας.

6. Egressi autem circumibant per castella, evangelizantes, & curantes ubique.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ.

Quia particula illa, *in civitatibus illorum*, dupliciter accipi potest, uno modo, ut relativum eorum, referatur ad Judæos, quod Christus

etiam prædicavit in civitatibus Judaicis, sicut Apostolis injunxerat, ut saltem in illis docerent: altero modo, ut referatur ad Apostolos, quod Christus eos